Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Elias Silberrad

Specimen Inaugurale Qvo Theologus Heros, Ab Elia Propheta In Ecclesia Corruptissima Egregie Olim Expressus Ex 1. Reg. Cap. XIX. v. 10. Exhibetur

Argentorati: Apud Jo. Reinholdum Dulsseckerum, MDCCXXII.

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862154596

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862154596/phys_0001
DFG

49. d. 5.

51

Fa 1092 (51.)

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862154596/phys_0002
DFG

1. Phil. Dav. Kraeuterus de eo, quod sublime est in oratione adv. Interp. Wertheimenses ad Gen. 1.3. Jenae 1738.

2. Jo. Reisner de imagine Dei in homine ante lapsum ad Gen. 1. v. 26. 27. Witteb. 1676. rec. ib. 1703.

3. 4. 5. Jo. Chr. Klemmius de ὄφει protoplastorum serpente ad Gen. III. 1 ff. Tubingae 1730. & 39.

6. Albertus Schumacher de ἐμπύῳ sacrificii Abelis ad Gen. IV. 4. Bremae 1718.

7. Christi. Lud. Schlichter de iride eius emblemate ad Gen. Gen. IX. 12–17. Halae 1739.

8. Jo. Georg. Neumannus de mensura peccatorum impleta ad Gen. XV. 16. Matth. XXIII. 32. Witteb. 1702.

9. Pet. Zornius de fisco iudaico eius calumnia S. C. sublata ad Gen. XLIX. 10. Jes. VII. 8. Matth. III. 10. Luc. II. 1. 2. 3. & Actor. V. 37. Sedini 1732.

10. Gust. Georg. Zeltneri Schilo nodis solutus ad Gen. XLIX. 10. Altorfii 1710.

11. Abrah. Calovius de regali sacerdotio ad Exodi XIX. 5. 6. & 1 Pet. II. 9. Witteb. 1679. rec. ib. 1701.

12. Gustav. Peringerus de Asasele, s. hirco emissario ad Levit. XVI. Upsaliae 1693.

13. 14. Jo. Wilhelmus de hirco emissario ad Lev. XVI. Jenae 1664 & 68.

15. Jo. Joach. Schröderus de hirco emissario eiusq ritibus & mysterio. Marb. 1725.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862154596/phys_0003
DFG

16. Dav. Richteri physiognomia Davidis. Jenae 1715. ad Euil. XXI. 16 ff. Jenae 1715.

17.a. Jo. Frey vindiciae loci Num. VI. 22 ff. a deformationibus Westhemerensis Pentateuchi Interpretis. Jenae 1739.

17.b. Jo. Leonh. Reckenbergeri disputationcula de Ebraeor. electis s. studiosis ad Jo. Frey. 16. eod.

18. A. C. Gadenholtz de immunditie ex contrectatione mortuorum secund. legem Mosaicam Num. XIX. Helmst. 1708.

19. Jo. Casp. Hasenung de Bileamo incantatore & Prophetа periodico. Witteb. 1739.

20. Jo. Dav. Grillo Deum Trinum esse ex Deut. VI. 4. assertum. Franc. ad Viadr. 1736.

21. Mich. Chr. Rasmeyer de Aarone viro sancto tribus Levi, typo Christi ex Deut. XXXIII. 8. Gryph. 1738.

22. Jo. Mich. Lorentz de supplicio Achanis ex Josuae VII. Argentor. 1735.

23. Jeph. Becker de miraculo solis et lunae in hemisphaerio Gabaonis et Ajalonis ad mandatum Josuae stantium ad Jos. X. 12. 13. Jen. 1729.

24. Carol. Ludou. Hohlfeld de Ruthae noctu Boazum ingressae, et ab aliorum criminationibus vindicata ad Ruth III, 2–10. Ged. 1729.

25. El. Sieberradii Theologus heros, ab Elia olim propheta in ecclesia corruptissima olim expressus ad 1 Reg. XIX. 10. Argentor. 1722.

26. Isaac. Fraschius epicritica ad Inscriptionem Psalmi XXXIV Davidis. Argentor. 1699.

27. Anonymi meditatio de Jesu Christo victore, praedam distribuente. Gen. 49 ad Ps. LXVIII, 19. Genev. 1729.

28. Christiani Ludov. Schwanau de expiatione hircorum facta ad Ps. LI, 9. Lipsiae 1718.

29. Theod. Dassovius de lustratione Hebraeorum ad Ps. LI, 9. et Hebr. IX, 13. 14. 1692. rec. Witteb. 1735.

30. Corn. Dieter. Korkius in Psalm XCI. Helmst. 1729
31. Jo. Henr. Lederlin disp. in Ps. CXIII. Argent. 1708.
32. Eund. observationes miscellae ad Ps. CXIV ibd. 1712.
33. H. Faustin exercitatio in sententiam Salomonis Proverb. XVI, 4 ib. 1695.
34/35.
36. Gustav. Georg. Zeltner de aurora fidei, inter nationis tenebras emergente. ad Jes. VIII, 19. 20. Norimb. 1729.
37. Programma academicae Gissenensis ad Jer. XXXI, 22. 26. Lpz. Giss. 1719.
38. Jo. Christi. Hebenstreit de Baxtro adiciendo Psalmo CIII. Lips. 1713.
39. Dan. Pfeffinger de Michaele Angelorum auxiliatore. ad Dan. X, 13. Argentor. 1713.
40. Programma academicae Helmst. de Michaele Archangelo. ad Dan. X, 13. et 20. Helmst. 1722.
41. Episc. Ludov. Königsmann de judice Israelis virga super maxillam percusso ad Mich. IV, 14. Jen. 1739.
42. Adr. Heron. Verpoorteius de justitia fidei ad Hab. II, 3. 4. Ged. 1736.
43. Jo. Geor. Michaelis de viro stante inter myrtos. ad Zach. I, 7. Hal. 1739.
44. Programma de Spiritu Gratiae ex Zach. XII, 10. Helmst. 1731.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862154596/phys_0005
DFG

25.

SPECIMEN
INAUGURALE
QVO

THEOLOGUS HEROS,

AB

ELIA PROPHETA
IN ECCLESIA CORRUPTISSIMA

EGREGIE OLIM EXPRESSUS

EX

1. Reg. Cap. XIX. ℣. 10.

EXHIBETUR

AUCTORE

ELIA SILBERRADIO,

SS. THEOL. PROF. PUBL. ORDINARIO
ET ECCLESIASTE, CAPIT. THOM. CANONICO, ET UNIVERS. ARGENT.
H. T. RECTORE.

ARGENTORATI,
Apud JO. REINHOLDUM DULSSECKERUM.
ANNO clɔ Iɔcc XXII.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862154596/phys_0007
DFG

SPECIMEN

INAUGURALE

QVO

THEOLOGUS HEROS,

AD

ELIA PROPHETAM

IN ECCLESIA CORRUPTISSIMA

EGREGIE OLIM EXPRESSUS

EX

1. Reg. Cap. XIX. v. 10.

EXHIBETUR

AUCTORE

ELIA SILBERRADIO,

SS. THEOL. PROF. PUBL. ORDINARIO

ET ECCLESIASTE, CAPIT. THOM. CA-

NONICO, ET UNIVERS. ARGENT.

RECTORE.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862154596/phys_0008
DFG

LECTORI BENEVOLO

S. P.

QVadriennium est, & quod excurrit, ex quo in Theologiæ Candidatorum album à Venerandâ Theologicâ Facultate receptus, Lectiones, quas vocant, Cursorias instituì, in verba quæ ex I. Tim. III, 15. depromta, tractare jussus sum. Inauguralem vero Dissertationem, ob plures alios, quos tum Moralium Disciplinarum tractatio, tum Liberi Ecclesiastis officium à me efflagitarunt labores, huc usque differre sui coactus. Postquam vero inopinata, & vel ideo nobis tristissima BARTHII heu! quondam nostri, ad sublimia cœlestis Academiæ subsellia, per beatam ἀνάλυσιν vocatio, nostrarum quoque rerum faciem subitò mutavit; Inclytumque Concilium nostrum Academicum, suffragiis suis, benevole annuente Per-Illustri Domino PRÆTORE REGIO, Protectore Universitatis Gratiosissimo, successorem me optimo Theologo dederit, ocyus quidquid hujus negotij est, expediendum mihi esse existimavi, ne à more hactenus recepto, alieni quid moliri velle vel videri vel dici jure possim. Thema vero quod scriptionis hujus rubrum sistit, nec à Lectionum, quem indicavi textu, nec ab Ecclesiæ in his terris militantis conditione alienum. Hîc, summa dignitas, amplissimaque divinitus eidem concessa privilegia exhibentur, ijque qui Doctorum in eâ munere funguntur, officij sui gravissimè monentur; illic eadem nobis repræsentatur Ecclesia, sed impietatis summæ tenebris,

& graviſſimarum afflictionum procellis, ſic penitus obruta, ut Prophetæ oculatiſſimi oculis penitus fuerit ſubducta; inſigni tamen inſimul ſuppeditato exemplo, Viri maximâ cum laude in eadem verſantis, & quas D. Apoſtolus Timotheo ſuo commendat, officij ſacri partes omnes ſtrenue adimplentis. Utut verò, de quo in Argentoratenſi noſtrâ impenſe nobis gratulemur, habeamus, quod ſincera inter Doctores publicos animorum floreat concordia, quodque doctrinæ ſua adhuc puritas conſtet, cultusque divini ratio ſarta inter nos tectaque ſtet; nec, qualia optimus Propheta & σύγχρονος ipſi Eccleſia habuerunt fatis, provida Numinis Optimi cura, & REGIS CHRISTIANISSIMI, Domini noſtri Clementiſſimi gratia in nos plane eximia, noſtræ Eccleſiæ res hactenus permiſerint; ſat tamen grave onus eſt, quod per creſcentem indies vitæ morumq; improbitatem, & à verâ ſinceraq; pietate multorum ad varia ſcelera ἀποστασίαν, à ſuiſmet ipſi imponitur membris; dura ſatis ſunt fata, quæ alibi paſſim hactenus experta fuit militans in terris Chriſti ſponſa, quibuſque præter gemitus & lachrymas, vix quod opponeret, habuit. Et quamvis non deſint qui de remediis malo eam affligenti opponendis, ſeriam ſuſceperunt cogitationem; utrum tamen in uſum effectumque ea deduci poſſint, haud immeritò dubites cum judicij acuti Theologo b. m. Dn. D. Fechtio Præfatione, qua B. Dorſchei noſtri Commentarium in IV. Evangeliſtas poſtumum ornavit p. 51. Interim extra omnem dubitationis aleam illud poſitum videtur: fontem malorum iſtorum præcipuum, inordinatum quemdam & partium ſæpe ſtudio abreptum zelum eſſe, pacemque & quietem Eccleſiæ haud ſperandam prius, quam dicto Apoſtoli audientes omnes, τὸ αὐτὸ λέγοντες ἐν τῷ αὐτῷ νοῒ καὶ ἐν αὐτῇ γνώμῃ 1. Cor. I, 10. eſſe incipiant; hincque in zelum DEO placentem ſeſe mutuò accendant, qui Doctores Eccleſiæ audiunt; quibuſque per ipſam, quod ſuſtinent, officij rationem, in id totis incumbendum viribus eſt, ut doctrinæ puritas propagetur, & à machinationibus quibuſcunque vin-

vindicetur, utque impietatis indies invalescentis horrenda monstra ex animis hominum exturbentur; sicque talis efficiatur in singulis suis membris Ecclesia, qualem sanguine suo ablutam esse voluit amantissimus Sponsus: ἵνα ἁγίαν καὶ ἄμωμον Ephes. V, 26. 27. *Illustre Theologi & Prophetæ Zelotis, afflictissimo Ecclesiæ Israëliticæ statu illuminatissimi celeberrimiq; exemplum in ELIA nobis sistit textus sacer, cujus pro Dissertatione Inaugurali explicationem uberiorem à me dari, Venerando Theologorum nostratium Ordini est visum.*

Seculo itaque Almæ nostræ Argentoratensis primo, ad finem suum per DEI gratiam properanti, & Dissertationibus Theologicis Inauguralibus, quarum in eo XXIIX. fuerunt habitæ colophonem quasi imposituri; & ἀναστροφῆς *in Ecclesia Theologorum nostrorum Argentoratensium, quos divina nobis bonitas Seculo hocce primo XX. numero dedit publicè notos àque zelo pro Dei gloriâ & Ecclesiæ salute omnes commendandos, memores, Theologum Zelotem in Elia conspicuum, pro virium divinitùs nobis concessarum modulo sistemus, ut secundo quod instat Universitatis nostræ Seculo, futuri Ecclesiæ nostræ Doctores, ad premenda antecessorum suorum vestigia, exemplo tam illustri excitentur; & zelo divino accensi, nihil eorum desiderari in se unquam patiantur, quæ ad propagandam Ecclesiæ nostræ incolumitatem felicitatemque, ad seram, si quæ futura est, posteritatem, momentum aliquod habere poterunt. Ne autem* ἀμεθόδως *acturi videamur, duobus, omnem textus præsentis* ὀρθοτομίαν *complecti placet capitibus, quorum prius quæ ad ejus exegeticam illustrationem; posterius, quæ ad* ἔλεγχον, *ad* παιδείαν *&c. in eodem spectare videbuntur, enucleabit. Sic tamen ut brevitatis studiosi, in compendium omnia simus redacturi, digito ad fontes semper intento, ex quibus singula deduci uberius facile potuissent, si quidem mole magis & paginarum numero, quam industria optimorum Auctorum evolutione, placere B. L. nobiscum constituissemus. DEUS nos aliqua Eliæ spiritus parte impleat! Amen.*

I. N. J.

DISSERTAT. INAUGURALIS QVÆ ZELI HEROICI THEOLOGVM IN ELIA CONSPICVVM SISTIT

CAP. PRIOR. SECT. I.

Textum ipsum ejusque Analysin exhibens.

THES. I.

Textus in fonte & Versionibus.

TExtus in cujus enodatione industria nostra B. C. D. occupabitur ex 1. *Reg. XIX*, 10. (a) desumtus, in fonte Hebræo, prout in Bibliis Buxtorffianis is exhibetur, ita sonat:

קַנֵּא קִנֵּאתִי לַיהוָה ׀ אֱלֹהֵי צְבָאוֹת כִּי־עָזְבוּ בְרִיתְךָ בְּנֵי
יִשְׂרָאֵל אֶת־מִזְבְּחֹתֶיךָ הָרָסוּ וְאֶת־נְבִיאֶיךָ הָרְגוּ בֶחָרֶב
וָאִוָּתֵר אֲנִי לְבַדִּי וַיְבַקְשׁוּ אֶת־נַפְשִׁי לְקַחְתָּהּ׃

In versionibus si legere eadem lubet, en potiores. Chaldaica paraphrasis, Targum vulgo dicta, vel solo, quæ cum Judæis nobis intercedunt, in controversiis usu, maximopere commendanda, sic l. c. habet:

Chaldæa.

קַנָּאָה קַנֵּיתִי קֳדָם יְיָ אֱלָהָא צְבָאוֹת אֲרֵי שְׁבָקוּ קְיָמָךְ בְּנֵי
יִשְׂרָאֵל יָת מַדְבְּחָךְ פַּגָּרוּ וְיָת נְבִיָּךְ קְטָלוּ בְּחַרְבָּא וְאִשְׁתָּאֲרִית
אֲנָא בִלְחוֹדִי וּבָעוֹ יָת נַפְשִׁי לְמִקְטְלַהּ׃

Inter

(a) *De Auctore & authoritate horum Librorum vid. WALTHER. Offic. Bibl. p. 945. P. D. HUET. Demonstr. Ev. p. 345. & G. SURENHUS, de Form alleg. Vet Hebr. p. 37. seq. ubi Apost. Rom. XI, 2. allegandi rationem ex Hebræorum monumentis illustrat.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862154596/phys_0012
DFG

Inter interpretes qui ex Hebræa in Græcam linguam ſacra eloquia tranſtulerunt, non niſi eorum qui ſeptuaginta vulgo dicuntur verſionem adducemus, quippe quæ & antiquitate præcellit omnes reliquas Bibliorum verſiones, & quam, B. AUGUSTINO (b) dicente, *tanquam ſola eſſet, ſic recepit Eccleſia, eâque utuntur Græci populi Chriſtiani, quorum plerique utrum alia ſit aliqua, ignorant*; (c) in hac (d) verba noſtra ita ſonant: ζηλῶν ἐζήλωκα τῷ κυρίῳ παντοκράτορι, ὅτι ἐγκατέλιπόν σε οἱ υἱοὶ Ἰσραὴλ· τὰ θυσιαστήριά σου καθέσκαψαν, καὶ τοὺς προφήτας σου ἀπέκτειναν ἐν ῥομφαίᾳ, καὶ ὑπολέλειμμαι ἐγὼ μονώτατος, καὶ ζητοῦσι τὴν ψυχήν μου λαβεῖν αὐτήν. Ubi illud tantum noto, quod verſu ſequente 14. quo eadem Propheta repetit, aliquam variationem obſervare liceat; nam quod loco priore ſimpliciter dicitur ἐγκατέλιπόν σε id verſu poſteriore preſſius fontes ſecuti ἐγκατέλιπον τὴν διαθήκην σου reddiderunt; pro verbo κατέσκαψαν verſu priore, ſubſtituerunt verſu poſteriore τὸ καθαιρεθὲν. Græca. Neque prætermittenda hic allegatio loci noſtri ab Apoſtolo *Rom.* XI, 3. facta, ut ex hujus cum fontibus & græca LXX. virali collatione cognoſcatur, ſcriptores ſacros, allegantes loca Vet. T. in Novo, hanc non ſemper ſecutos, (e) atque methodus ſimul pateat ab ipſis obſervata cum Vet. T. oraculis adductis, dicta à ſe vel probarunt, vel illuſtrarunt. Quando enim l. c. ita Apoſtolus allegat: τοὺς προφήτας σου ἀπέκτειναν, καὶ τὰ θυσιαστήριά σου κατέσκαψαν· κἀγὼ ὑπελείφθην μόνος, καὶ ζητοῦσι τὴν ψυχήν μου, illud facile cuivis patet, ipſum in compendium verba noſtra redegiſſe non niſi iis quæ ad ſcopum ſufficiebant, allegatis; & ordinem præterea Scripturæ, facta tranſpoſitione (f) immutaſſe. Præmittit enim Prophetas tuos occiderunt & hinc demum altarium deſtructorum meminit; quod majus utique crimen ſit hominem

 ſanctum

(b) *C. D. L. XIIX. C. 43.* (c) *Plura ad accuratam Verſionis hujus cognitionem pertinentia ſuppeditat CL. D. D. FABRICIUS Fautor noſter & amicus honoratiſſimus in incomparabili Biblioth. Græcæ Opere l. 3. c. 12.* (d) *Ex Edit. Amſtel. de A. 1683. juxta Ex. Vatic. Romæ edit.* (e) *Licet non negemus Sp. S per τὸν Θεόπνευστον N. T. eamdem non raro canonizaſſe, dicente B. KROMEYER. Polymath. S. p. 143 conf. B. GLASS. Rhet. S. p. 583.* (f) *GLASS. etiam obſervata l. c. 588.*

sanctum occidere, quam altare destruere. Vocem חרב quoque brevitatis ergo omisit, quia sufficiebat ostendisse Prophetas esse occisos, quocunque demum id factum fuisset instrumento. Denique in fine τὸ לקחת etiam non addidit, quod intentio ex antecedentibus colligi satis poterat, cum dicitur: & quærunt animam meam, ante quæ verba sermo de Prophetis occisis antecedit, adeoque animam Eliæ non alia de causa quæri quam ut occideretur.

Vulg. & Schmid.

§. II. Inter Latinas versiones, quarum primis Seculis Christianis tot fuerunt, ut, censente D. AUGUST. (g) *numerari nullo modo possint*, illa inprimis si ætatem spectes, memoranda, quæ Vulgata jam olim dicta, in respectu ad particulares istas innumerabiles, quamque insuper habitis reliquis omnibus, Tridentini Doctores authenticam (h) esse jusserunt, IV. Concilij sui Sessione; imò cui tantus à Cardinale *Franc. Ximenio* habitus est honos, ut in pretiosissimo Bibliorum Complutensium (summa enim aureorum amplius 50000. constitisse dicitur) VI. Voluminibus, fol. ipsius studio A. 1515. edito & Leoni X. inscripto opere, Præf. ad Lectorem his eam verbis commendare veritus haud sit: *mediam inter hos latinam beati Hieronymi translationem velut inter Synagogam & Orientalem Ecclesiam posuimus* (ex altera enim parte græcam versionem, ex altera hebraicum textum posuit) *tanquam duos hinc inde latrones, medium autem Jesum, h. e. Romanam sive latinam Ecclesiam collocantes*; sed quam, ipsi post Tridentinum Concilium viventes Pontifices Sixtus V. & Clemens VIII. emendationem ejus suscipiendo & παραμυθείας plurimas corrigendo, pro authentica simpliciter non agnoverunt. In hac autem sensus verborum ita redditur: *zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum Domini filij Israël: altaria tua destruxerunt, & Prophetas tuos occiderunt gladio, & derelictus sum ego solus, & quærunt animam meam ut auferant eam.* Illa vero, quam incomparabilis Exegeta noster, cujusque nunquam intermori-

(g) *De Doctr. christ. L. II. C. 11.* (h) *Quo sensu, ex colloquio cum Dn. de Flavigny Doct. ac Socio Sorbonico, exponit Cel. WAGENSEIL. Tel. Ign Sat. p. 523. dignus qui hic legatur, de sententiâ Concilij ex æquo pronunciaturo.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862154596/phys_0014
DFG

moritura veneratione, memoriam colimus : B. D. D. *Seb.* SCHMIDIUS adornavit Versio, his Prophetæ mentem expressit verbis : *Zelando zelavi JEHOVÆ DEO Zebaoth ; quia deseruerunt fœdus Tuum filij Israëlis ; altaria Tua everterunt, & Prophetas Tuos occiderunt gladio : ego autem relictus sum solus ; sed quærunt animam meam, ut eripiant eam.*

§. III. Ex Versionibus aliis quæ vernaculæ Europæis sunt, non nisi eam dabimus, quæ B. Lutherum auctorem agnoscit, quæque omnium, qui haud iniqui rerum optimarum judices sunt, suffragio, palmam reliquis omnibus in hoc genere præripuit, (i) sic autem pensum nostrum in ea legitur : Ich habe geeiffert umb den HERRN den GOtt Zebaoth/ denn die Kinder Jsrael haben deinen Bund verlassen/ und deine Altar zubrochen/ und deine Propheten mit dem Schwerdt erwürget/ und ich bin allein überblieben/ und sie stehen darnach/ daß sie mir mein Leben nehmen. *Germ. B. Luth.*

§. IV. Ut, quem vario hactenus idiomate loquentem audivimus, clarius quid velit pateat, repetenda ex antecedentibus occasio est, qua oblata, Propheta noster ista protulit. Nimirum postquam zelo actus Elias, Prophetas Baal occidisset, Achabus cladis istius spectator, forte & admirator, animo plane abjecto stolidoque consilio, omnem rem gestam, uxori quam timebat, retulit. Hæc pro suæ iracundiæ impotentiâ, per plures mox Deos jurat, haud se impune facinus illud Eliæ dimissuram, mortemque in crastinum minatur, missis ad ipsum (non certe sine singulari Numinis providentiâ) nunciis, ut tempore opportuno fugâ se subducere furori posset. Is ergo, tyrannicum mulieris ingenium, quod minata erat, effecturum, seque adeo in præsentissimo vitæ periculo versari intelligens, *surrexit, abivitque ad salvandum animam suam* 1. *Reg.* XIX, 3. eque leonis faucibus eripiendam. Et in desertum quidem primùm aufugiens, mortem expetit ; hinc autem ab Angelo confirmatus in Cho- *Occasio.*

(i) *Vid. B. D. PFEIFFER. Crit. S. C. XIII. §. 16. sqq. B. Hier. KROMAYER. Polymat. S. Append. C. V. add. Diss. apologetic. sub Præsidio Lechtiano à D. M. J. E. Pfeiffer* 1700. *oppositam libello anonymi cui tit.* Untersuchung etlicher Oerter des N. Testaments, &c. *Versioni B. Lutheri justo iniquiori.*

in Chorebum progreditur, inque ſpeluncam ſe abdit; cum ecce verbum Jehovæ ad ipſum factum, dixitque ei: *Quid tibi hic Elia?* (k) Tempus itaque ſibi & occaſionem copiamque loquendi à DEO interrogante factam arbitratus, ita ad quæſtionem propoſitam reſpondet, ut cum gravi hoſtium ſuorum accuſatione cauſam ſuam tanquam in judicio DEI agere incipiat, in hunc fere ſenſum locutus: Ah! Domine, quod huc loci fugerim inque anguſtiis his miſer ego nunc ſim conſtitutus, in cauſa eſt tuus quondam, nunc vero plane deperditus populus, &, à cujus nutu totus ipſe ſtolidus pendet, regina impia, crudelis, idololatrica. Non enim jam mea, ſed me qui ſolus ex omnibus tuis cultoribus ſinceris ſuperſum, &, quæ ſola mihi ſupereſt, vitam meam quærunt. Non aliâ de cauſa, quam quod juſtiſſimo pro Te nominisque Tui gloria zelo correptus, Prophetas deceptores ſeductoreſque ipſorum trucidaverim. Quod quin jure fecerim ſummo, nullum mihi plane dubium eſt; cum horum maxime inſtinctu factum fuiſſe exiſtimem, quod filij Iſraël fœdus Tuum deſeruerint; altaria tua deſtruxerint; Prophetas Tuos gladio interfecerint.

§. V.

(k) *An increpantis iſta quæſtio ſit timiditatemque exprobrantis, an vero commiſerantis DEI? Chryſoſtomum qui prius, aliosque qui poſterius amplectuntur, vid. MEYER.* Früh Stunden. *p. 45. & 47. DILLHERR.* Proph. Schul. *p. 105. quærentes deprehendo. Ego fugam, qua Propheta ſibi conſuluit, quamque ad certum temporis articulum tutiſſimam exiſtimavit, œconomiæ divinæ nequaquam adverſam fuiſſe reputo ex* 1. Reg. 17, 3. *cum B. SCHMIDIO Annot. ad* 1. Reg. 19, 3, *& 9. conf. POLI Critic. in Matth.* 4, 12. *Non equidem ignoro CHRYSOSTOM. aliter ſentire & eloquentiſſima, ut ſolet, amplificatione, ſed ſeveriore cenſura, quam alij omnes, ac forte quam Eliæ merita & æquitas poſtulabant, vitio ipſi vertiſſe quod timoris cauſa fugam arripuerit, Oratione in Eliam & Petrum: ſed argumentorum defectus, quo minus tanti Theologi me moveat authoritas, efficit; & ſi* To יירא 1. Reg. XIX, 3. *cum Chaldæo & B. Luthero per:* & vidit *reddas, vix ullum timiditatis argumentum ſupereſt; & ſi ſupereſſet, ad fugæ tamen reprehenſionem non ſufficeret. Pluribus de Fuga in perſecutionibus diſſerit B. ATHANASIUS Apolog. de Fuga ſua T. I. Op. 781. Ed. Colon. quam quoties in ſuppellectile mea libraria intueor, toties liberalitatem & gratiam Illuſtr. COLLEG. ARCHIPRESBYTERIAL. in me, grata mente veneror. TERTULL. L. de Fuga alijque. Qu. Num Theologo tempore peſtis fugere liceat? ſingulari diſquiſ. Theol. A.* 1711. *ed, tractavit Cel. Lubecenſium Superint. Dn. D. GOEZ.*

§. V. Quod si unica aliqua propositione cuncta ista complecti velis, id sequente, ni fallor, commodè fiet: *Eliæ Propheta DEO ipsum interroganti respondens, Zelum suum, quo, JEHOVÆ gloriam vindicaturus, contra Israëlitarum peccata exarserat, allegat, & fata inde sua exponit.* Hanc si in partes quibus constat resolvas, habebis I. Subjectum loquens in verbo *zelavi.* II. Prædicatum *zelando zelavi*, cujus zeli iterum notatur α. objectum personale *Filij Israël.* β. objectum reale peccata in populo grassantia, quæ enumeratione facta fuisse dicuntur a) *Fœderis derelictio* b) *Altarium destructio* c) *Prophetarum cædes* d) totalis Ecclesiæ Israëlit. qua visibilis erar defectio, in verbis: *ego relictus sum solus.* γ. Finis vindicatio gloriæ JEHOVÆ Zebaoth. δ. Actus, *zelando zelavi.* ε. Eventus, *quærunt animam meam.*

SECTIO II.

Eliam Prophetam considerans.

§. I. Subjectum loquens ipsa sacræ historiæ series clarissime designat, ELIAM nempe (l) Prophetam & fidelium Israëlitici Regni (A. M. 3030. juxta J. H. ALSTED. Thes. Chronol. coll. Chronol. ad 1. Reg. 16, 29. & C. ult. ℣. 41. Ed. Germ. Witteb. de An. 1702.) Antistitem, currum Israël & equites ejus. (m) Quis autem, qualis quantusque is fuerit cum abunde jam à Biographis (n) sit expositum, nobis, per indicem quasi, potiora ad officium personamque ipsius pertinentia, indicasse sufficiet. Non autem immorabor iis, *Eliæ Nomen & ortus.*

(l) אֵלִיָּהוּ *Hebræis dictus vel ex* יה, אל *quæ nomina divina sunt, & pronomine* הוא *q. Deus fortis ille; vel, juxta alios, ex* אלי *Deus meus & pronom.* הוא, *ut talis hac appellatione, originis hujus vi, notetur cui Deus animum addit ut magnanimus sit & fortis, atque ex ista* μεγαλοψυχίᾳ *Deum* אלי *i. e. suum nominet.* (m) *Quo quid notetur vid. GLASS. Rhet. S. p. 397.* (n) *EPIPHAN. Panar. s. adv. Hær. L. II. T. I. p. m. 470. C. D. &, si supposititius non sit, in L. de Prophet. Vita, qui in ejus Operibus cura D. Petavij editis T. II. p 235. comparet. AMBROS. de Elia & Jejun. Fl. JOSEPH. A. J. L. VIII, 13. Ægid. CAMARTUS in Elia Thisb. s. Comm. de rebus gestis Eliæ Proph. Jo. TARNOV. de III. Eliis Tr. & recensiss. DN. G. SERPILIUS in Scriptoribus Biblicis.*

quæ de Parentibus ac genere de tribu item Eliæ, Ebræorum Magistri vel disputant, vel tradunt, cum in re adeo dubia, larga nimis divinandi ac somniandi copia utrinque sit. (o) Quamvis enim 1. Reg. XVII, 1. coll. 21, 28. & 2. Reg. 1, 3. תִּתְשְׁבִי מִתֹּשָׁבֵי גִלְעָד *Thisbita de habitatoribus Gilead*, dicatur, in tam diversas tamen, & Christianorum & Ebræorum Doctores circa genuinum horum verborum sensum, sententias abeunt, ut veri & certi quid haberi vix possit; licet patriam indicari omnes fateantur; quam si *Thoschab*, cum Chaldæo dicas, contra Grammaticam id esse regeret B. SCHMID. *ad* 1. *Reg.* 17, 1. si *Thescheb*, ex analogia quidem Grammaticâ id nomen fingi, sed in Scriptura nullibi haberi, nec ubi loci fuerit sciri posse, opponet idem l. c. Interim B. GLASS. (p) judice, ea inter omnes probabilissima est sententia, quæ auctore Junio, Thisbiten dictum Eliam putat, ab ea Gileadis parte quæ ad Orientem spectat & *Tescheb* dicta; quam si quis amplecti velit, non refragabor. Quod vero מתשבי גלעד *de habitatoribus Gilead* fuisse dicitur de familia ejus haud immeritò accipitur, fuisse nempe eam inquilinorum; (q) adeoque Eliam ipsum non natum inter Gentiles, sed vel natum vel educatum saltem in terrâ Jsraël. (r) Cum vero ô תושב ordinariè גר שער dictus, (quod nota lit. q. notata, ex *Goodwin.* modo observavi) מ"ס הצדק s. גר ברית *proselyto justitiæ* aliàs contradistinguatur, (s) haud abs re B. SCHMID. l. c. observat, *Thoschab Inquilinus* aliquando latius usurpari, & significare etiam *Proselytum religionis s. justitiæ*, ut vocant; & talem sine dubio fuisse Eliam, ut ex historia satis appareat. Sic ergo nullo natalium splendore Elias eminens,

(o) *Adeat, cui in re incertissima conjecturas nosse volupe est, B. SCHMID. annot. ad* 1. *Reg.* 17, 1. *B. GLASS. Phil. S. L. IV. Tr. III. p.* 819. *SPANHEM. H. E. p.* 377. *SANCTIUM ad Regg. l. c.* (p) *l. c.* (q) תושב *enim is propriè dicitur, qui ex populo Israëlis non est, sed apud ipsum peregrinatur, dictus alias* גר שער *portæ proselytus, notante Th. GOODWIN. Mos. & Aar. p.* 16. *a. m.* (r) *vid. B. SCHMID. ad Regg. l. c.* (s) *Cujus distriminis rationem ex SELDEN. de J. N. & G. L. II. C.* 3. *&* 4. *BUXTORFF. Lex. Talm. v.* גור *SCHICK. de J. Reg. Hebr. C. V. theor.* 17. *LEUSDEN. Philol. M. Diss. XXI. LUND. Jüd. Heiligth. IV.* 22. *seqq. aliisque, huc transcribere non vacat.*

minens Propheta (t) tamen Domini isque eximius plane fuit (u) dignusque habitus qui ingruenti undiquaque corruptioni opponeretur. Et suo adeo comprobans exemplo, Deum in sacro ministerio constituendo plane esse ἀπροσωπόλημπτον.

§. II. Officium istud Eliæ Propheticum quo ex gratiosa DEI voluntate defunctus est, nomina partim ipsi imposita, partim vestitus quo usus, partim denique labores ab ipso suscepti facile indicant. *Servum DEI* ipse se vocat 1. *Reg.* 18, 36. vocatus etiam sic à Jehu 2. *Reg.* 9, 36. sensu non tantum fidelibus cunctis communi *Rom.* 6, 22. 1. *Cor.* 7, 22. *Eph.* 6, 6. &c. sed proprio etiam publicis Ecclesiæ Doctoribus, 1. *Reg.* 14, 18. *Hebr.* 3, 5. & juxta exordia Epistolarum ad Romanos, Philipp. Titum, posterior. Petri, Jacobi, Judæ. *Viri DEI* elogio, vidua Zarphatensis 1. *Reg.* 17, 24. & Achasiæ Regis Pentacontarchæ 2. *Reg.* 1, 9. *seqq.* ipsum mactarunt, quo Propheticam dignitatem notatam fuisse Targum fidem facit, quando לו איש אלהים 1. *Reg.* 13, 1. 14. 1. *Sam.* 2, 27. נביא דיי *Propheta DEI*, reddit. (x) *Prophetam* non ipse modo se dixit 1. *Reg.* 18, 22. sed à DEO etiam titulo hocce splendidissimo fuit hoc noratus 1. *Reg.* 19, 16. & 2. *Paral.* 21, 12. ubi literæ Joramo Regi, ab Elia Prophetæ exaratæ, traditæ memorantur. (z) Ex vestitu si Eliam æstimes, Prophetam & publicum Doctorem rursus habebis. אדרת enim quo usus dicitur 1. *Reg.* 19, 19. 2. *Reg.* 2, 8. quodque Elisæus hæreditate nactus *l. c.* ℣. 13. 14. tale vestimenti genus fuisse, quo distinctus cognitusque ab aliis fuit, ex iis colligo quæ inter Achasiam Regem hujusque ad Baalem Sebub nuncios gesta sunt; à Domino enim suo de משפט (i. e. *de consuetudine & ordine quem quis servat in victu & amictu*) Viri qui ipsis occurrebat, hi rogati 2. *Reg.* 1, 8. *Officium.*

(t) *Cujus doni prophetici inquilinos haud capaces fuisse Auctor L. Cosri P. I. §. 115. tradit, apud* LUND. *l. c. IV. 24, 23. hoc quoque exemplo facile refutandus.* (u) *à Mose jam, in Vale quod populo dixit, Deutr. 33, 20. ex sententia Lutheri ad l. c. prædictus.* (x) *Quæ Ebrr. hic observatio sit docet* B. GERHARD. *LL. T. VI. p. 26. A. in.* (z) *Quarum quæ sit ratio, dilucidè, ut solet, exponit* C. D. D. BUDDEUS *H. E. Vet. T. T. II. p. 649. add.* H. WITSIUS, *Misc. sacr. T. Pr. C. 18. §. 46. seqq.*

1, 8. de amictu inprimis, quippe singulari, responderunt; exque hoc indicium de Elia Regi mox fecerunt. Ejusmodi vero אדרת (μηλωτὴ *i. e. pellis lanata* τοῖς LXX. passim dicta) (a) Prophetarum vestem aliquando fuisse, ex κακοζηλίᾳ Pseudo-prophetarum liquet, qui commodiore nequitiæ mendacijque tegumento uti nescivere quam אדרת שער / δέρρῃ τριχίνῃ *pallio hirto aut piloso* (à quo בעל שער Elias dictus, *quasi hirsutus sive herus setæ*, si verbum verbo reddas 2. *Reg.* 1, 8.) quo ipsos aliquando spoliandos Dominus minatur *Zach.* 13, 4. non quod vestis ipsa displiceret (cæteroquin Doctorem resipiscentiæ acturus Johannes Baptista, pilosum istiusmodi amictum, ad exemplum Eliæ induere noluisset) sed quod damnaret togæ seu pallij abusum, Prophetis istis personatis, eo solo se commendantibus, & ab hominum vulgo ambitiose discriminantibus familiarem. (b) Vindicarunt etiam hoc pallium Prophetis, *Abarbanel in* 1. *Reg.* 19, 19. היה מנהג הנביאים ללבוש ואדרת *fuit*, inquiens, *è more Prophetarum pallium induere*: & *Kimichi* in l. c. Zach. ככן היה מנהג נביאי השקר ללבוש שקים ואדרת שער למען שיוכלו לכחש ויאמינו בהם בני אדם כי הם מראים עצמם בפני בני אדם שהם פרושים ואנשים צדיקים וישרים ולא ידבו כזב: *Nam ita solebant falsi Prophetæ saccos & pallium villosum induere, ut mentiri possent, & homines illis fidem haberent; ostendebant enim se ipsos hominibus, quod essent separati & viri justi rectique, qui non loquantur mendacium.* (c)

§. III. Denique Propheticam Eliæ dignitatem actiones ipsæ quas perpetravit, loquuntur. De docendi provincia quam ornavit, dubitare nos non sinunt tum alia, tum filiorum Prophetarum in Scholis Propheticis Bethelicâ inprimis & Hierichunticâ, frequente satis numero congregatorum, facta mentio 2. *Reg.* 2, 3. 5. his enim suos Doctores

(a) *Qua voce Apostolus quoque utitur in descriptione vestitus Sanctorum Patrum Ebr.* 11, 37. (b) *conf. Matth.* 7, 15. (c) *Plura de vestitu Naziræorum & Prophetarum FULLERUS Misc. S. L. W. C.* 7. *QUENSTED. Antiq. Bibl. & Eccl. p.* 10. *aliique dabunt.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862154596/phys_0020
DFG

res & moderatores haud defuisse, omnino existimandum. Quin ipsis istis Propheticis Collegiis, (quoddam quasi Israëliticæ Ecclesiæ Seminarium referentibus) Eliam, dum vivebat, Rectorem quasi, Præsidem, ἀρχιδιδάσκαλον, & ad exemplum Samuelis, נצב עליהם *constitutum super eos*, 1. *Sam.* 19, 20. præfuisse, vero admodum fit simile, si investitura spectetur, qua per togæ injectionem, non vatis modo ac Reformatoris munus, sed docendi quoque provinciam, divino jussu, ipse demandavit Elisæo, duplici dein Spiritus Doctoris portione præ condiscipulis ornato, 1. *Reg.* 19, 19. 2. *Reg.* 2, 9. Sed quo jure quidam à monte Carmelo, Carmelitarum sibi nomen sumentes, primum ordinis sui auctorem Eliam faciant, hactenus videre non licet. (d) Unde nec, ut in examine hujus sententiæ quicquam olei vel operæ insumerem impetrare à me potui. Maxime cum solida id eruditione jam actum sit à B. D. D. DORSCHEO nostro, Sylloges Semestris p. 83. Serm. Prodromo, cum Esdræ Edzardi Licentia conferretur in Acad. Rostoch. dicto. In hoc enim, quæstionem sibi tractandam sumsit istam: quid illa unctio, illa pallij injectio, qua Elisam sibi Elias adscivit, designaverit? extulerit ne Elisam tantum in Scholam disciplinamque Eliæ, postea in Prophetico munere ipsi successurum? an vero in ordinem simul Carmelitarum quemdam cœnobiticum, qui in monte Carmelo institutus, ad ipsius etiam Christi Salvatoris nostri tempora continuatus, & inde per XVI. Secula in diversis orbis terrarum partibus collocatus sit, introductus fuerit? Id autem inprimis agit ut Johanni Hierosolymitano Sec. V.

(d) *Operosè id agunt* Thom. Aquinas à S. Joseph *Carmelita excalceatus Disp. Histor. Theol. de Patriarchatu Eliæ P. I. Sect. X. P. II. tot. P III. S. I.* Cyprianus à S. Maria *Carmel. discalceatus in Thesauro Carmelitarum* 1627. *Colon. ed. C. I. quo de origine Ord. Carmel agit, alij. Quid quod* Phil. Tessiere *Carmelita An.* 1612. *Biteris in Provinciali Ordinis sui conventu coram Urbis ejusdem Episcopo, inter alias*, historiæ Carmelitanæ theologice propugnandæ *theses istam quoq; proposuerit: valde probabile est Pythagoram Philosophum etiam fuisse Carmelitam, sicque discipulos suos instituisse, ut victu, conversatione & vestitu discipulos Eliæ omnino referrent. Quam quidem fabellam merito suo ridet doctiss. Jesuita Antwerp. Dan.* PAPEBROCH. (*editis una cum Jo. Bollando & God. Henschenio Actis Sanctorum, & variis Carmelit. ordin. antiq. concernentibus scriptis eruditis clarus*) *in Respons. ad R. P. à S. Paulo P. II. art. XVI.*

scriptori de Instit. Monach. ad Caprasium vulgo tribui solitum Librum, (in quo quippe uno, tota structura ordinis Carmelitani, ad Eliæ usque tempora extendendi, recumbit) (e) ipsius germanum opus haud esse evincat, & P. Scherlogum Doctorem R. C. Comm. in Cant. Cant. Joh. Hieros. illud opus impugnantem, contra P. Wastelium, qui in Vindiciis pro Joh. Hieros. magno impetu egit, defendat. Nobis allegasse sufficit judicium C. BARONII, qui in omnem antiquitatem sagaces circumtulit oculos, & ubicunque potuit religiosis institutis patrocinatus est; is vero *T. VI. Annal. Christ.* 444. *Resipuimus*, inquit, *atque exsufflamus figmentum illud incerto autore proditum, S. Cyrillum Al. Episcopum Monachum fuisse montis Carmeli. Faceßat ejusmodi de Monachismo Cyrilli in monte Carmelo fabella: sicut illa haud impar, qua traditur & Johannes Hieros. Episcopus Origenista, fuisse etiam Monachus Carmelita. Sicut enim hæc leviter effinguntur, ita & facile refelluntur. Flagrans quidem cupido nobilitatis avitæ cogit interdum homines delirare.*

Judæorum de Elia Doctore, Fabulæ.

§. IV. Non vero suo tantum ævo fuisse sed semel adhuc futurum post reditum, Doctorem publicum Eliam, misera Judæorum gens, animo suo male feriato & olim concepit (f) & hodienum concipit, (g) de adventu ejus, hujusque tempore, hebdomade & die, de apparitionibus item multa garriens & fabulans, (h) fingensque ipsum difficilia omnia enucleaturum, scrupulos soluturum, atque omnia plana redditurum, ut cum Messias venerit nihil obscuri in lege supersit. Hinc frequens illa in Talmude abbreviatura: תיקו nec non illa תיובתא quas Philologorum facile prin-

(e) *SPANHEM. H. E. p. 378. consentiente.* (f) *Quod ex quæstione Joh. B. proposita Joh. C. 1, 21. patet. vid. WITS. Misc. S.T. Post. Ex. XV. §. 51. p. 523.* (g) *Hinc ille Sup. Sec An. 66. impostor Sabbatai Sevi, Messiam se mentitus, quendam fallendi artibus sibi parem, tanquam præcursorem suum Eliam, ne quid fabulæ deesset, assumsit; donec tandem, ut ultimum, quod Mahom. IV. minatus erat supplicium effugeret, Turca factus; referente rem RICAUT. Hist. de l'Emp. Ottom. T. III. p. 174. -- 208.* (h) *Kimchi in Mal. 4, 5. R. Esra in l. c. LIGTFOOT. H. H. & Talm. in Matth. 17, 10. HOORNBECK. de Convinc. Jud. p. 204. sqq.*

princeps *Jo.* BUXTORFF: (i) sic evolvit: תִּשְׁבִּי יִתֵּרֵץ קֻשְׁיוֹת וּבְעָיוֹת *Tischbi solvet objectiones & quæstiones*, &, תִּשְׁבִּי יָבֹא וְיַגִּיד בְּפִיו תֵּרוּץ אֱמִתִּי *Thisbi veniet & indicabit ore suo solutionem veram.* Si quæras, quidnam tandem vanæ isti spei, qua gens decipi volens, se lactat, ansam suppeditet? locus *Malach. IV*, 5. ubi de Eliæ Prophetæ adventu sermo, perverse explicatus, fundamentum præbere deprehenditur. Si in græca LXX virali versione inprimis legatur, quæ, ut traditionibus hisce faveret, τὸν Θεσβίτην stupenda audacia, addit. Sed πώρωσιν Judæis hic quoque contigisse vel inde patet, quod ea non videant, quæ vel propria suorum placita secuti, videre & poterant & debebant. Quam enim Christiani Interpretes ad *Matth. XI*, 14. tradere solent regulam hermenevticam: (k) *uti in omni sermone, ita & sacro sæpe usu venit, ut qui alteri alicui, multis in rebus similis est, ejus cui similis est, nomine designetur*, sive quod idem: *Nomen proprium unius quandoque alteri imponitur, ob similitudinem vel etiam ob typum*; (l) eamdem sensu ipsimet Hebræorum Magistri quoq; tradunt, probante id ex Doctoribus Gemaricis CL. Amstel. Athenæi Prof. G. SURENHUSEN. (m) Atque hinc *Jer.* 30, 9. *Ez.* 34, 23. *Hos.* 3, 5. ubi Messias, David appellatur, nec ipsi Judæi Davidem προσωπικὸν filium Isai, sed πνευματικὸν intelligunt. Interim ipsis istis somniis de Eliæ adventu Ecclesiæ etiam Doctores quosdam, græcæ simul versionis mendo, forte & incertis conjecturis deceptos nonnihil tribuisse CALIXTUS *de Supr. Judic. libro p.* 133. *sqq.* adductis hanc in rem quibusdam eorum locis comprobavit, locusque maxime Au-

(i) *De Abbrev. p m.* 210. *add. Lex. Talmud. p.* 93. & 2588. (k) *B.* DANNH. *Anti-Christos. p.* 314. HEERWART. *Scrutin. Philol. p.* 203. (l) *Quo sensu B. Lutherus noster, Seculi sui Elias sæpe honoris causa nostris dicitur. vid C.* SPANGENBERG. *Concc.* 1564. *Mansfeld. editas cit. obs. Hall. T. VI. obs.* 23. *p.* 186. *D.* LAURENTII *Orationn. Dresdæ* 1607. *olim habitas & à D. P. Lysero commendatas de Comparat. Meg. Luth. cum Elia: adde Diss. Jenens. sub Færisch. Præsid. habit. de Angelo Apocal. per cœlum volante. & D. S. B.* CARPZOV. *Præf. qua B. H. Welleri opera ornavit.* (m) *De Formm. alleg. Op. A.* 1713. *ed. p.* 76. *add.* LIGHTFOOT. *H. H. & Talm. ad Luc.* 1, 17. & *quicunque ex nostris comparationem inter Eliam & Joannem instituerunt.*

AUGUSTINI *de C. D. XX*, 30. præ aliis idem clare demonstrat. Et cum jam inde usque à satis vetustorum Ecclesiæ patrum temporibus invaluisset illa de Elia, quem sive antichristus sive venturus ad judicium Christus ipse, sive uterque præcursorem esset habiturus, persuasio, facile illam suam quoque fecerunt Theophrastus (n) Rosæ Crucis dicti fratres, (o) Chiliastæ, (p) aliique fanatici, prout commodum cuique videretur, eandem interpolantes. Adeoque quid de R. Bellarmini argumento, qui, Anti-Christum nondum venisse probaturus, Eliam & Henochum nondum venisse inter alia urget, habendum sit, judicio B. L. definiendum relinquo. (q)

§. V. Illud vero cum aliis Prophetis commune etiam habuit Elias, quod in eum à DEO finem excitatus fuerit & missus, (r) ut corruptelas doctrinæ & morum à pseudo-Prophetis, Sacerdotibus, Regibus aut populo invectas, divino animatus zelo acriter taxaret; auditores ad seriam pœnitentiam vitamque sanctiorem revocaret invitaretque; (s) rebellibus vero, refractariis & contumacibus horribiles pœnas & calamitates DEI nomine annunciaret. Et cum Propheta, vi vocis, eum propriè denotet, qui à DEO vocatus & à Spiritu S. inspiratus, ut res futuras fideliter adnunciet, definiente *Venerando Collega & Præceptore nostro* DN.

(n) *Qui Chymiæ arcana latere in scriptis suis sæpius fuit contestatus, usque ad Eliæ, quem dixit, Artistæ adventum, qui seculi aurei præcursor tum alias artes ac scientias, tum illam imprimis Chryso-Chymicam perfectè sit orbi reparaturus. vid Bapt. Eglini de Helia Artista Disquis. Lips. 1606. ed.* (o) *Theophr. secuti hi, in scriptis suis ad Eliam Artistam & ipsi ubique provocarunt, teste L. Osiandro, in appendicula, quam de Elia postremi Seculi, suæ præsentium temporum considerationi adjecit p. 34.* (p) *de quibus vid. B. Gerhard. Tr. Theol. de fundamentis Chiliasmi p. 169. conf. & Alsted. Chiliastis hic se associantem Diatr. de mille annis Apocal. Francof. 1627. ed. p. 213 seq. ubi Prophetiam Malachiæ, geminam habere impletionem contendit: unam in Joh. B. alteram in alio quodam heroe, adhuc venturo. Plura de his collegerunt, in compendium à nobis redacti, Observatt. Hall. Dun. Collect. T. VI. Observ. 23. & Cel. DN. D. STRUV Bibl. Ant. A. 1706. p. 159.* (q) *L. III. de R. P. C. 3. & 4. add. B. D. SCHERZER. Anti-Bell. p. 256.* (r) *à qua missione* מלאכים *dicti ex Hagg. I, 13.* (s) *A quo &* תשבי *quidam dictum volunt, ducente Venerando Sene DN. D. RECHENBERG. hospite quondam benignissimo, Hierolexico Real. p. 510. A. p. m.*

DN. D. PFEFFINGERO, (t) hac quoque parte Prophetam se abunde noster demonstravit. (u) Denique stupendis quoque miraculis inclaruit, hisque non DEI modo nomen celebravit; sed in vocatione etiam sua ipse confirmabatur. (x) Donec tandem post multorum laborum sudores, post dirarum persecutionum gravissimas fatigationes, post magnas illustresque victorias, opima de mundo & diabolo spolia referens, igneo curru atque equis flammantibus triumphantis instar ad cœlestia regna sublatus est. (y)

§. VI. Non negligenda, cum de Elia agitur, de temperamento quo fuit, quæstio, à P. PETITO *Philosopho & Medico quondam Parisiensi clarissimo de Sibillis* L. I. C. 10. mota, & audacter satis definita. Probaturus namque Petitus: Temperamentum quoque homines quosdam magis affines atque aptos reddere, spiritui illi concipiendo, qui Prophetas facit, & illud quidem speciatim, quo plurimum in corpore atræ bilis congestum est, ad Mosis & Eliæ exempla provocat; & hunc quidem insigniter melancholicum fuisse tum ex eo probat, quod in locis ab humano commercio remotis, ignotis scil. montibus, & juxta torrentes libenter habitaverit; tum ex corporis quoque habitu, quem Auctor librorum qui Melachim h. e. Regnorum (Regum fuerat dicendum) inscripti sunt, sic depinxit: Vir pilosus & zona pellicea adcinctus renes. Maximam autem melancholicorum partem tali esse corporis habitu. Nostrum jam non est iis quæ de effectibus temperamenti melancholici circa animæ quoque facultates, Medicorum filij tradunt immorari; (ż) illud tamen

Eliæ Temperamentum ex sent. P. Petiti.

C

(t) *Diss. de Furtis Prophett. ad Jer. 23, 30. Priore, §. 6.* (u) *vid. 1. Reg. 17, 1. 21, 19. alibi.* (x) *Quæ ex N. Lyrano eo quo facta sunt ordine recenset B. DILLHERR. Proph. Schul. p. 128.* (y) *conf. de raptu Eliæ Diss. BUXTORF. B. DANNH. nostrum, Dram. S. p. 325. ubi Irenæi hic credulitatem notat & hunc allegantem, Bellarmin. L. III. de R. P. C. 6. & L. de Gratia primi Hom. C. 12. conf. p. 756. Dram. S. An vero pictores atque Poëtæ in figuranda solis imagine exempla hinc sumserint? quod CHRYSOST. putat, de Ascens. Eliæ Homil. T. I. Opp. Edit. Frob. an item Græcorum ἥλιος ex nomine Eliæ factum sit? quod C. Sanctio videtur apud Dannh. l. c. p. 13. add. WALTHER. Offic. Bibl. p. 952. jam non vacat disquirere.* (z) *vid. MER. CASAUBONI tract. de Enthusiasmo ubi prolixo his de capite agit.*

men confidenter negamus, atræ bilis abundantiam pro dispositione quadam ad Prophetiam habendam esse; & miramur Viro aliàs docto, tam improbabiles argumentationes excidisse inque Prophetam, ipsius confessione maximum, tam injuriosas. Nam quis quæso! non videt longe alias secessus in montes & juxta torrentes ipsi fuisse rationes quam quas *Petitus* allegat. vid. 1. *Reg.* 17, 3. 19, 3. 4. Et unde probaverit tam curiosus temperamenti Prophetici scrutator, pilosum Eliam dici à corporis potius habitu, promissa scil. cæsarie hirtaque barba (quam, nisi me omnia fallunt, alere moribus tum receptum erat) quam vestitus qualitate; & si ab illo, an melancholicus ideo? Non ergo nobis lubet eo usque sagacibus ne dicam temerariis atque audacibus esse, in eorum dijudicando temperamento, qui ab ætate & convictu nostro tam fuerunt remoti, nedum ut id faciamus argumentis tam futilibus. Eâ potius divinarum revelationum ducimur reverentia, ut nulli dubitemus, quin DEUS pro suo arbitrio, dignatus iisdem sit, quos voluit; neque aliam agnoscimus causam, cur hic magis Propheta fuerit quam alius quivis, nisi quia ita DEO libuit. (a)

Loquentis ἦθος & πάθος.

§. VII. Cæterum ad ἦθος (b) & πάθος (c) in ista Eliæ oratione noscendum, non adeo nobis laborandum esse videtur; nam quis animi habitus, qui mores loquentis cum DEO Prophetæ fuerint, ipse oratione sua satis expressit. Quam sive *Invectivam* dicas in universum populum, qua, μυερισμῷ facto & ἀσωπήτῳ usus, certis vitiorum capitibus insistit, eaque à circustantia inprimis personæ, objecti & modi exaggerat; sive *vituperatoriam*, quæ expositoria est eorum quæ in aliquo insunt, vitiorum, appelles; sive denique *lamentatoriam* vocites, qua malum in quod hominum malitia incidit, exponit, ejusque magnitudinem exaggerat, nihil quod ab indole ejus alienum sit, dixeris. Animi ergo Eliæ cha-

(a) *vid. de toto hocce argumento erudite differentem H. WITSIUM, Misc. S. T. Pr. L. I. C. VIII. seqq.* (b) *Quod QVINTIL. judice Inst. Orat. L. 6, 2. latino nomine vix commode expresseris.* (c) *Quæ probe observata, quantum in Sacra exegesi usum præstent, B. DANNHAUER. Herm. S. S. II. art. 1. §. 3. p. 348. B. FRANZ. de Int. Orac. LVI. docent. Quibus add. Genuinum Rhetorum facile principem ARISTOT. Rhet. op. I, 2, 6.*

character si exprimendus sit, indignabundi fuisse videtur, ira & zelo inflammati, anxij tamen suæque ipsius vitæ timentis, nondum interim abjecti plane, sed aliquid prioris fortitudinis adhuc servantis, quæ ubi res ipsa postulat nihil in cujusquam gratiam dissimulat, nemini turpiter adulatur; denique inter beatæ ἀναλύσεως desiderium, dolore pleni, quod filij Israël, illa DEO tam dilecta, illa tot tantisque divinæ gratiæ documentis abundans, illa in peculium à DEO assumta gens, nullis se beneficiis flecti passa, eousque impietatis progressa fuerit, ut non jam uno alterove se crimine obstrinxisse, sed omnes peccatorum numeros adimplevisse censeri jure possit, prorsus ut aut vitia ex ipsa aut ipsa ex vitiis orta videatur; quod filij non jam immorigeri, de quibus aliqua forte correctionis spes concipi posset, sed rebelles facti, & omni pietati debitæque DEO reverentiæ nuncio misso, hostes se DEI modo vario palam fuerint professi; denique quod nec sibi in ista perditissimorum hominum fæce securo amplius esse liceat, sed cum præsentissimo vitæ periculo colluctandum sit; idque gens misera omni conatu agat, ut nemo amplius sit, qui monere, objurgare, corrigere, adque frugem meliorem reducere possit, & sic sibi suisque seductoribus penitus relicta, prona in exitium suum ruat citatoque cursu properet. Talem populum DEO quasi coràm sistit, ut & ipsum ad zelum in vindicanda nominis sui gloria, severamque vindictam provocaret, suamque innocentiam, & fugæ, de qua rogatus inprimis fuerat, genuinam rationem exponat.

§. VIII. Cuncta hæc insigni brevitate complexus videtur sacræ eloquentiæ sine vanitate magister D. Apostolus, cum universam hanc orationem τῷ ἐντυγχάνοντι τῷ Θεῷ fuisse profitetur, κ) τοῦ Ἰσραήλ, *Rom.* 11, 3. quo quid notetur, ex verbi ἐντυγχάνειν cum præpositionibus κ) & ὑπὲρ conjuncti apud Græcos usu facile intelligitur. Nam ἐντυγχάνειν ὑπέρ τινος, *negotium alicujus commendare* (d) ἐντυγχάνειν vero *Ex verbis Apostoli.*

(d) *Qua phrasi Apost. Rom.* 8, 34. *insigne illud beneficium, quod optimus Salvator causæ nostræ Patronus & Advocatus, fidelibus suis apud Patrem præstat, explicat.*

κατὰ τινος *aliquem accusare* ipsis significat. (e) Ad quam φράσεως vim probe attenderunt, qui per *accusare*, *divinum auxilium & ultionem adversus Israëlem interpellare* eam reddidere, apud M. POLUM. (f) Equidem de ipso hoc Eliæ accusantis animo, à nobis hactenus expresso, non eadem omnium est sententia; sunt qui animum magis sedatum lenemque, qualem in simili negotio, Apostolus *Rom.* 9, 3. & 10, 1. præ se tulit; vel quandam saltem συμπαθείας significationem in ipso desiderant; ipsoque hoc exemplo probant: *sanctos etiam DEI homines suis gravari affectibus nec vacare perturbationibus.* (g) Quin DEUM ipsum, illo præsentiæ suæ symbolo ℣℣. 11. & 12. descripto, docere Eliam voluisse, cujusmodi affectus induendus ab ipso sit, minuendum scil. zelum, & impiorum hominum magis desiderandam pœnitentiam quam perditionem, aliis persuasum est. (h) Aliter vero de istac apparitione videtur aliis, quos inter B.S. SCHMIDIUS noster *Annot. ad* 1. *Reg.* 19, 11. 12. acu rem tetigisse videtur, quando responsionem in ea contineri existimat, ad priorem querelæ partem, (per ellipsin h. l. ut & ℣. 14. concedendam, ex sententia Viri summi ad 1. *Reg.* 19, 10. *f.*) qua morte sibi finiri miserias petierat; sed symbolicam & obscuriorem: adhuc supersesse ad breve tempus sustinenda adversa: ventum, terræ motum, ignem: sed bono esse debere animo, mox enim venturum Dominum & suaviter ipsum ad se translaturum. Sic negare quidem, quam rogaverat Elias, mortem, sed efficacissime in miseriis consolari, ostenso felicissimo tandem exitu. Quibus mox addit: *si placet intelligere naturam Legis & Evangelij, conjungi hac ratione possunt ut dicamus: Deum proposita utriusque natura, monuisse Eliam, prius etiam ipsi toleranda adversa, quam Evangelij promissio in ipso impleatur in vita æterna. Imo possumus dicere, ipsum Christum præfiguratum, qui prius sub legis maledictione*

pro

(e) 1. *Maccab.* 8, 32. 10, 61. 63. 64. 11, 25. (f) *Synop. Crit. ad l.c. Rom.* (g) *Visum ita fuit B. D. MYLIO Explic. Orth. & Method. Epist. ad Rom. fol.* 339 *A.* (h) *H. GROTIO ad* 1. *Reg.* 19, 12. *ubi*, admonetur, *inquit*, Elias ut sibi ab ira caveat, ad quam natura suapte ferebatur? *à Corn. à Lapide*, (*ut B. Calov. ad l. c. suspicatur*) *aliisque sic edocto conf. D. D. Joach. LANG. Hist. Eccl. V. T. p.* 579.

pro nobis pati debeat, antequam in gloriam evehatur: cujus Elias typus esse debeat. Eliæ certe ingenium, quasi durius justo, hîc non reprehendi, aut lenitatem doceri, sequentibus evincere conatur rationibus M. POLUS, (i) quod 1. Deus hîc nihil non severum Eliæ præcipiat, quod 2. non minus severus postea fuerit Elias occidendo 50. illos 2. *Reg.* 1, 10. 3. quod Christus laudet Johannem, venientem in spiritu Eliæ; quod denique 4. Evangelij hic figurationem Deus intenderit, quod non venit cum vento, terræ motu &c. sed cum magna lenitate.

SECTIO III.

Zeli Objectum Personale, Filios Israël sistens.

§. I. Accedendum nunc ad eos nobis est, à quibus Eliæ zelus quasi provocatus & accensus est, τῶν בְּנֵי יִשְׂרָאֵל *Filiorum Israël* appellatione venientes. Quæ vero prima nominis *Israel* origo, quæ item ejus sit ratio, & cui primum id impositum sit, id quidem ex *Gen.* 32, 28. 29. notius, quam ut verbum de eo addere opus esse existimem. Neque quæ circa vocis ἐτυμολογίαν variæ passim occurrunt variorum sententiæ (k) ut à nobis hîc recensеantur, expectandum. Non autem Israëlem ipsum sive cui ab Angelo id nominis impositum est, Jacobum Patriarcham hic accusari ex addito בְּנֵי intelligitur, cujus singulare בֵּן (l) *filius*, à בָּנָה derivatum, ædificium quasi aliquod familiæ paternæ, quæ in illo habitat & conservatur dictum fuisse, quidam observarunt; quo sensu apud PLAUTUM (m) Philolaches adolescens: *Filij Israël qui ratione Originis?*

Novarum inquit, *ædium esse arbitror similem ego hominem*
Quando hic natus est.

Tam latè autem τῶν בֵּן *filij* appellatio apud Hebræos patet, ut non immediatè tantum à parentibus procreati eadem notentur (n) sed omnis quoque posteritas nomine isto veniat,

(i) *Syn. Crit. Vol. I. p.* 1666. *f.* (k) *Præcipuas collegit examine adhibito* B. GLASS. *Phil. S. L. IV. Tr. III Obs. XIV. p.*833. *seq.* B. CALOV. *&, qui hunc fere secutus,* B. SCHMID. *Ann. Sup. Gen.* 32, 29. (l) *De cujus vario apud Hebræos usu vid.* GLASS *Phil. III, 1. Can.* 36. (m) *Mostell. Act.* 1. *p. m.* 293. (n) *Quo sensu* בני ישראל *Gen.* 42. 5. 45, 21. 46, 8. *Ex.* 1, 1, *&* בני יעקב *Gen.* 35, 26, 49, 2. *dicuntur.*

nepotes nepotumque nepotes, *natorum nati & qui naſcuntur ab illis.* Quemadmodum בן אדם *filius Adami* ſynecdochice quemvis poſterorum indicat. (o) Unde & Græci τὸ בנים per σπέρμα ſæpe reddunt, & *Matth.* 22, 24. 25. σπέρμα & τέκνα permutantur. Sic ergo בני ישראל dici poterunt כל נפש יצאי ירך יעקוב alle Seelen die auß den Lenden Jacobs kommen/ *Ex.* 1, 5. dicunturque in textu noſtro, qui ex poſteris ſive deſcendentibus Jacobi in Iſraëlitico inprimis regno tum ſupererant: *Domus Iſrael Ex.* 16, 31. *de domo Iſraël Ez.* 33, 11. *Domus Jacob Ex.* 19, 3. *cœtus filiorum Iſrael Num.* 25, 6. *populus Iſrael Eſ.* 10, 22. *filij Jacob Pſ.* 77, 16. alias dicti. Apoſtolus *Rom.* 11, 2. 10, 21. ſimpliciter vocat Iſraëlem: *Rom.* 9, 27. υἱὸς Ἰσραὴλ. Ἰσραηλίτας *C. eod.* v. 4. (p) Dum vero, ſplendido ſane, filiorum Iſraël nomine, peſſimos iſtos de quibus loquitur ſalutat Elias, diſtinctionis ab Apoſtolo factæ *Rom.* 9, 7. meminiſſe juvat: οὐ πάντες οἱ ἐξ Ἰσραὴλ οὗτοι Ἰσραηλῖται. Fuerunt ſemen Jacobi & hujus filij ſecundum carnem, utpote à generatione ad generationem ortum ab ipſo ducentes, ſed בני בשר ורם τέκνα τῆς σαρκὸς non τῆς ἐπαγγελίας quibus Deus λογίζεται εἰς σπέρμα *Rom.* 9, 8. *coll. Gal.* 4, 28. (q)

Filij Iſraël ratione imperantis qui?

§. II. Illud vero, quod moveri hic poſſet dubium: utrum ſcil. iſta filiorum Iſraël appellatione, ſchiſmaticæ tantum X. tribus, an vero Judæ quoque regni incolæ indigitentur? facili ſolveretur negotio, ſi dubio omni careret, illud *B. A.* MONTANI (r) & *P.* CUNÆI (s) aſſertum: cum primo illo ſchiſmate deſiiſſe etiam communem Iſraëlis appellationem, neque indiſtinctum amplius ejus uſum fuiſſe. Equidem non negandum ſtatim poſt factum ſchiſma accurate

(o) *Obſ. Cel. D.* DANZIO *Interpr. p.* 69. *a. f. Hoc ſenſu Salvator O. filius Abrahami & filius Davidis audit Matth.* 15, 22. *&* 22, 42. *conf. Jo.* 8, 39. *Luc.* 13, 16. *add.* SURENHUS. *Concil. Locc. ex V. in N. T. alleg. L. IV. §.* 6. 23. (p) *Non Judæos, quod hoc nomen jam in odium abierit, non perinde Iſraëlis, quam rationem allegat Ben.* ARET. *ad Rom. XI. p.* 65. (q) *Uſum hujus obſervationis in controverſiis cum Pelagianis recentioribus, de hæreditaria ſanctitatis parentum in liberos propagatione, commendat* MYLIUS. *Expl. Ep. ad Rom. p.* 318. *A.* (r) *Apud* CONRING. *Paradox. de Numm. Hebr. p.* 75. (s) *apud. E. D. D.* MAIUM *Theol. Proph. p.* 61. *§.* 9.

rate distinctum fuisse inter duorum istorum, veteris & novi, Regnorum cives; ita enim ad Semajam Virum DEI verbum DEI factum est 1. *Reg.* 12, 23. 24. *Dic ad Rechabeamum, filium Schelomonis, Regem Jehudæ, & Benjaminem, & reliquum populi, dicendo: sic dixit Jehova: Non ascendetis neque pugnabitis cum fratribus vestris*, filiis Jisraëlis. Quæ eadem distinctio 2. *Par.* 13, 12. 16. 17. 18. & alibi repetitur, facto inter *filios Jisraëlis* & *filios Judæ* expresso discrimine. Interim communem Jisraëlis appellationem etiam post separationem, non plane desiisse, vel ex 1. *Reg.* 12, 17. colligas, ubi qui Rechabeamo adhærebant: *filij Israëlis habitantes in urbibus Jehudæ*, distinctionis gratia appellantur contradistincti *toti Iisraëli*, ante separationem 1. *Reg.* 11, 42. 12, 3. 16. *conf. Es.* 8, 14. Nec illud etiam alienum à Scripturæ filo, post schisma etiam, quod Jerobeami tempore accidit, nomen *Israëlis* decem tribus complectens, pro Juda, tribum Juda & Benjamin continente, poni 2. *Par.* 12, 6. *Humiliaverunt se Principes Israël & Rex*, ubi de Rehabeamo Rege Judæ & ejus Principibus sermo est. Unde & factum existimo quod græca quædem exemplaria non οἱ ἄρχοντες Ἰσραὴλ sed οἱ ἄρχοντες Ἰούδα legant. Sic, *eod. Paral. L. C.* 21. *v.* 2. Josaphat vocatur *Rex Israël*, cum tantum fuerit Rex Juda; & C. 28, 19. Achas Rex *solius Judæ*, dicitur Rex Israël. (t) Jam quos velit Elias, filios Israël nominando? quæritur. Sunt inter Theologos qui de utraque & Judaica & Israëlitica Ecclesia, Propheticam illam querelam accipiunt, quorum loca & rationes Cap. Posteriore hujus tractationis alleganda à nobis erunt. Nil quicquam tamen causæ nostræ, ex loco hoc, patrocinio decedet, & salva quoque erit nostra cum Viris tantis ὁμοψηφία, si, de iis *potissimum* capi Prophetam velle dicamus, quæ sub Achabo & Jezabele, paulo ante gesta fuerant.

§. III. Sed quo jure universo populo Israëlitico crimina ista Elias tribuit, cum quædam saltim esse videantur, quæ soli Jesabeli, & quos ipsa habuit, impietatis ministris, tribuenda erant? Non jam instituti nostri fert ratio, ut quæ Juris

Accusantur & quidem omnes.

(t) *Ipsa hac observatione B. GLASS. Philol. S. L. 1. Tr. 1. p. 80. eorum refellit objectiones qui corruptionis suspicione loca ista gravant.*

Juris Naturalis Consultorum de delinquentium consortio sunt observationes, in medium afferamus. Illud tantum ex Grotiana hic Philosophia (u) repetendum: quemadmodum Superiores quandoque obligantur ex delictis civium & culpa à subditis in Rectores Civitatum transit; ita vicissim à summa potestate in subditos culpam transire, si in crimen hi consenserint, aut si quid fecerint summæ potestatis imperio aut suasu, quod facere sine facinore non poterant. Quæ si ad præsens accomodentur negotium, quo jure Propheta omnes sine exceptione, reos agat patebit. Fateor Jesabelem & Achabum causas primarias socias criminum & idololatriæ inprimis fuisse, illam per imperium, hunc consensu, saltem non resistendo. Interim in populum quoque Spiritus S. culpam conjicit, mandatis regiis plus quam divinis morem gerentem quemadmodum in illa sua coram Achabo concione, Elias hoc etiam nomine gravissimas ipsi pœnas denunciat, quod *peccare fecerit Israëlem* 1. *Reg.* 21, 22. (x) & 1. *Reg.* 16, 2. Bæsa, qui tertius ordine inter impios Israëliticos Reges est, accusatur quidem, quod peccare fecerit Israëlem, & Israël tamen per *peccata sua*, ad iram provocasse Jehovam dicitur. Quo ergo jure 2. *Sam.* 24, 1. furor Domini adversus Israëlem exarsisse dicitur, (z) eodem, & longe adhuc majore, universo populo peccata ista tribuit Elias. Et quidni tribui potuerint? cum præcipuo causæ moralis requisito, libertate à necessitate & coactione haud fuerit destitutus. Hac si uti rite voluisset, (a) metuendum nequaquam fuerat, ne contra debitum superioribus obedientiam aliquid fieret. Nam & divini & naturalis juris principiis firmata regula est, quam de summorum imperantium jure GROT. inculcat: (b) *si quid imperent natu-*

(u) *De J. B. & P. II*, 21, 7. (x) *Quæ phrasis notatu dignissima de Jerob.* 1. *Reg.* 14, 16. 15, 30. *& de Bæsa* 1. *Reg.* 15, 34. 16, 2. *etiam adhibetur; similis illi, qua* 2. *Par.* 28, 19. *Achasus R. Jehudam denudasse dicitur.* (z) *Non dominij divini plenissimi, ad quod* GROT. *II*, 21, 17. *de J. B. & P. recurrit, refutatus ab Osiandro: sed quod in populum non innocentem ei competebat.* (a) *Cum militibus illis Christianis, quos Mauritius ducebat, qui à Maximiniano sacrificia Gentilium Diis offerre jussi, mortis, nisi imperata facerent, intentato supplicio, mori, quam impiis Deum sacrificiis offendere maluerunt. apud* GROT. *de J. B. & P. I*, 4, 7. (b) *Prol. n.* 14. *& I*, 4, 1, 3. *de J. B. & P. Magistro piæ hujus inobedientiæ Apostolo ipso Act.* 4, 19, 5, 24.

naturali juri aut divinis præceptis contrarium, non est faciendum quod jubent. Circa quam ipsam tamen duo ista caute distinguenda: *non obedire jubenti*, &, *vim jubenti inferre*, prius permissum, Apostolorum & qui disciplinam eorum secuti, exemplo; à posteriori & olim abhorruit (c) & abhorret hodienum universus fidelium cœtus, bonos imperantes voto expetens, qualescunque ferens, & ultra fugam, si mors intentetur, nihil sibi permissum existimans. Recte enim B. LUTHER. ille authoritatis qua magistratus eminent, vindex egregius, existimavit, si vim inferre liceret: So bliebe mit der weiß/ wohl gar keine Obrigkeit noch Gehorsam in der Welt/ weilen ein jeglicher Unterthan diese Ursach könnte fürwenden/ seine Obrigkeit thäte unrecht wider GOtt. (d)

§. IV. Sed non opus ut rei per se evidenti amplius probandæ immoremur, nam qui fœderis derelicti accusantur, iidem & trucidationis Prophetarum peraguntur rei, & insidiarum quæ Eliæ vitæ struebantur. (e) Hinc B. SCHMID. *Annot. Brev. in* 1. *Reg.* 19, 1. ad verba, *quærunt animam meam*, quærit: *qui?* & R. *sane non sola Isabel sed & Achabus*, imò & populus *aut primates saltem*; & l.c. ad V. 3. idem; *unde cognovit*, inquit, *quod vers.* 10. *dicit: quæsiverunt animam meam? nisi à Spiritu S. Quod Isabel id in animo haberet, intellexit ex verbis ejus. Sed de Achabo* & Israëlitis *ipsi non constabat; sed Spiritus S. ipsi revelavit* quod non essent impedituri conatum Isabel. *Unde ille rectè dixit:* Et quæsiverunt animam meam. Accusat ergo universum Israëlem: in quo quidem licet constaret ipsi de pio Obadia, tamen putavit cum ipso esse tam paucos, ut non faciant aliquem numerum excipiendorum, quæ verba ejusdem sunt in 1. *Reg.* 19, 18. Illustrari hæc quadantenus possunt ex *Matth.* 23, 37. (f) quem locum Theologus quondam nostràs διωατὸς ἐν τᾶις χαφαῖς *b. m. Dn. D. Isaac.* FAUSTIUS A. Sec. Super. LIX. d. 3. Jun. in Diss. sua Inaugurali explicatum, sub Præsidio Dannhaueriano

D solen-

(c) *Quod dictis & exemplis probat* GROT. *de J. B. & P. I, 4, 7, 9.* (d) *Epist. ad Sax. El. Joann. apud Hortleder L. 1. C. 6. alleg.* TESMARO *ad Grot. p. 157. a. m.* (e) *conf. omnino Neh. 9, 26.* (f) *Coll. Matth. 5, 2. Act. 7, 52. & b.* BRENT. *in Act. 2, 23. 36.*

solenniter ventilavit, his inter alia §. IV. verbis usus: *propriissime & primo intelligit universum malignantium Judæorum cœtum, qui idololatricos cultus pertinaciter defendit, & Prophetis, illos accusantibus contradixit, illas cædes expetivit, illorum sanguinem sitiit universus populus, summi, imi, imperantes, obsequentes, docentes, discentes; quod decrevere primores executi sunt populares, approbavere omnes.*

SECTIO IV.

Objectum Zeli Reale, Peccata in Populo grassantia proponens.

Status Eccles. tempore Eliæ generatim: specialius.

§. I. Prius quam ad specialem peccatorum, eo quo à Propheta recensita sunt ordine, considerationem accedamus, statum Ecclesiæ Israëliticæ, qualis tum fuit, generatim intueri juvat. Miserum autem, deplorandum turbatumque omnino fuisse, omnia clamant. Nihil sani in doctrina DEIque cultu, nihil in hominum moribus erat. Ecclesia vera ad paucitatem extremam erat redacta; omnium scelerum genera, velut diluvium terram Israël inundaverant. Errabant superiores ipsumque politiæ & Ecclesiæ caput multum vacillabat, & doctrinæ puritatem in turpem idolomaniam converterat; subditi ejus filij Belial 2. *Par.* 13, 7. evaserant cum ipso; paucis, factum tum, quod futurum in Judæ regno Azarias prædixerat 2. *Par.* 15, 3. Neque ab Achabo prima perditionis initia; sed à primo statim Jeroboamo novo novi regni Rege prima mali origo repetenda. Is namque redux ex Ægypto factus 1. *Reg.* 11, 40. 12, 2. u[illegible] novo sibi regno suo consuleret, neve tribus X. sacrorum Hierosolymitanorum occasione, cum altero à quo defecerant, Judæ regno rursus jungerentur, Deum quam se ipsum deseri à populo maluit, institutis peculiaribus sacris, quorum ut tempus *ex suo corde finxerat*, 1. *Reg.* 12, 33. ita & objecti, & locorum & personarum ratione ab Hierosolymitanis omnino diversa erant; ad Deum verum quidem relata sed ob ἐθελοθρησκείαν ipsi abominanda. (g) Hacque fraude sacrorum introducto dissidio, schisma quidem confirmavit & omnino insanabile reddidit; sed

(g) *vid.* 1. *Reg.* 12, 27. 28. 29.

sed atrum istud stigma per omnem Israëlitici Regni historiam commemoratum & idemtidem repetitum sibimet inussit: quod *Israël peccare fecerit;* (h) effecitque ut initiis istis male auspicatis, regnum hoc minus diuturnum variisque subinde mutationibus conscissum fuerit sub Regibus XIX. qui omnes commatis tam mali fuerunt, ut in proverbium quasi ipsorum impietas abierit 2. *Reg.* 16, 3. Sed pessimus inter omnes Achabus, quem Jeroboamicæ μοχολατρίᾳ Baalismum addidisse sicque omnes idololatriæ numeros impleviſſe, illa sine horrore vix legenda de ipso verba 1. *Reg.* 21, 20. 25. & 1. *Reg.* 16, 30. 33. satis edocent. (i) Id scil. poterant nuptiæ illæ mixtæ cum Isabele uxore Sidonia & maxime imperiosa, cujus detestabile in historia sacra nomen & à qua ἰλιὰς κακῶν. Hæc in domo paterna, in mediis idololatriæ tenebris educata, blanditiis suis ad eamdem impietatem maritum primum, (k) deinde imperio subditos quoque pertraxit. Sed damna ex *nuptiis mixtis* pluribus exposuit. M. R. DN. D. PFEFFINGER. noster, scriptis de iisdem An. hujus Seculi VIII. duabus Dissertationibus.

§. II. Sed ad specialia progrediamur, visuri quibus maxime peccatis gens sese misera obstrinxerit. Elias Zelota sic ea enumerat (l) ut ad duo potiora revocari omnia possint, Idololatriam, cum fœdere DEI relicto, & altaribus ipsius dirutis Baaliticos sectati fuerunt cultus; & homicidium, quando & alios Prophetas è medio sustulerunt, & jam ipsius quoque vitæ insidiati sunt. Initium itaque ab eo facit quod initium fons & scaturigo reliquorum omnium, *fœderis derelictione* עָזְבוּ בְרִיתְךָ *reliquerunt fœdus tuum.* Duo sunt quæ curatiorem hic merentur considerationem: fœdus derelictum & de-

Peccatorum Enumeratio. Ubi

I. *FOEDERIS DERELICTIO. ejus not.*

D 2

(h) 1. *Reg.* 14, 16. *impiè id negante J. GAFFARELLO, qui Curios. Inaud. P. I. C. I. p. m.* 25. *id agit ut ex vitulis istis, Cherubinos Mosaicos, vitulorum formam referentes faciat; Regemque impium ab idololatriæ crimine absolvat. conf. LUND.* Jüd. Heiligth. *IV, 9, 58.* (i) *Quin si vera sunt quæ R. Jochanan apud D. Kimchi ad* 1. *Reg.* 21. *exque hoc SELDENUS de Diis Syris Synt. L. 2. C. 2. p. m.* 144. *de ipso tradit. publico portis Samariæ affixo programmate Deo Israëlis renunciavit, nec sibi partem in eo esse professus est.* (k) 1. *Reg.* 21, 25. *Quale quid Salomoni quoque* 1. *Reg.* 11, 4. 8. *accidisse memoratur.* (l) *Cujusmodi peccatorum catalogum etiam habemus* 2. *Reg.* 17, 7-18. *Neh.* 9, 26. *Dan.* 9, 5. *sqq. alibi.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862154596/phys_0035
DFG

& derelictionis modus. In nobiliſſimo de *Fœderibus Divinis* argumento vix ſpicilegium ſcribenti ſupereſſe, mecum agnoſcet, qui, quot quantaque ingenia in eodem excolendo, noſtro inprimis ævo verſata fuerint, ſecum reputaverit. Nam, ut illa Reformatæ Eccleſiæ celeberrima nomina, *Coccejum, Burmannum, Mommam, Witſium, Braunium* taceam, quibus methodus Fœderalis, ingenioſa certe & amœna (m) ita arridere cepit, ut vel totam Theologiam, vel maximam ejus partem per fœdera tractarent: quid b. m. D. D. JÆGERUS (n) & quem in primarij Profeſſoris, Eccleſiæ Præpoſiti & Cancellarij dignitatibus is ſucceſſorem habuit, D. D. *Chr. Matth.* PFAFFIUS, (o) magna nominis ſui cum fama, officia ampliſſima ornans; quid item Noricorum Almæ decus Celeberrimus Dn. D. ZELTNER. (p) & Dn. M. Chriſtian. REUTER. Verbi D. M. Vitemb. (q) hoc in negotio præſtiterint, id edita ab ipſis ſcripta abunde demonſtrant.

Onomatol. §. III. Vox ברית cujus ſit originis aut propriæ

Etymol. ſignificationis, multum quæritur apud Pagninum, Buxtorffium, Schindlerum, alios. Plerique tamen à verbo ברה id nomen revocant, quod *elegit, ſelegit*, item *comedit* ſignificat, ut ברית notatione ex ipſa rei natura deſumta, ſit res ſelecta & deſiderabilis, ſive rei ſelectæ & maxime deſiderabilis conſtitutio & promulgatio ſolennis, quæ ab uno dante & offerente, ſine conſenſu mutuo alterius partis proficiſci poſſit; qua de vocis ἐτυμολογίᾳ cum abunde jam egerit B. S. SCHMIDIUS noſter (r) & ſecutus ipſum B. PFEIFFER. (s)

Synonym. ipſos adeat, cui eam curatius noſſe volupe eſt. Paraphraſtis Chaldæis Onckeloſo & Jonathani ברית eſt קְיָם à קוּם, pro-

(m) *Si modo cautela quam M. R. Tubingenſſ. Theologus Dn. D. PFAFF. Inſt. Theol. p. 298. ſuppeditat adhibeatur.* (n) *Lib. quem de Jure DEI fœderali inſcripſit, prodromo majoris illius operis de fœdere gratiæ divinæ.* (o) *Primit. Tubingenſſ. P. II. p. 29. & Inſtit. Theol. Dogm. & Mor. P. II. C. 2.* (p) *Idea Theol. Fœd. annexa Diſſ. geminæ de Corruptelis & Medelis Theol. 1707. ed.* (q) *De Fœderibus & Teſtamentis Div. Tr. Vitemb. A. hujus Sec. VI. ed.* (r) *De Circumciſ. P. I. p. 48. 49. & Diſſ. de II. Propoſit. circa Sacr. Circumc. §. 22.* (s) *in Dub. Vex. ad Zach. IX. 11. addantur tamen quæ de voce eadem habent* BLACIUS *Clav. voc. Fœdus.* ROBERTSON. *Lex. Concordant. biblico V.* בתר *Jac.* GUSSET. *Theol. Gronin. Comment. L. Ebr. A. 1702. Amſtel. ed. qui nomen* ברית *à verbo* ברר *efformat.*

propterea quod susceptum quoddam negotium stare facimus, quasi constitutio. Interpretes LXX. pro ebræo ברית nomen διαθήκη ubique fere usurparunt exceptis locis *Gen.* 14, 13. *Deut.* 9, 15. & forte quibusdam aliis. Aquilam contra Ponticum & Symmachum per συνθήκαν (t) τὸ ברית semper interpretatos fuisse HIERONYM. (u) quoque observat. Priores vero secuti N. Test. Scriptores Θεόπνευστοι eandem διαθήκης voce ubique fere usi, cum pacti à DEO cum hominibus per amplissimas promissiones initi mentio fit; & Syrus quoque (observante Chrysostomo nostro Argentorat. *B. D. D. Jo.* SCHMID. (x)) græcum διατίθεσθαι verbo quod proprie promisit sive pollicitus est, reddidit. Eadem vero vox græca cum non pactum tantum, conventionem, pollicitationem sive ἐπαγγελίαν, sed testamentum etiam hæreditatemque quæ testamento obvenit, & sensu quidem proprio, Græcis notet, (z) probe tenendæ sunt regulæ quas de ejusdem usu Biblico, laudati modo §. 2. Theologi tradunt: rationes testamenti aut fœderis divini, licet ex omni parte non conveniant cum conditionibus testamenti aut fœderis humani, sufficit tamen quod in multis & præcipuis partibus similitudinem illa habeant, cum res divinæ ex rebus humanis non omnino & secundum singulas rationes sint dijudicandæ: in explicatione ebræi ברית & græci διαθήκη nominum, duplex illa, de hoc modo tradita significatio sæpe conjungenda, ut dispositionem testamentariam cum conventione fœderali conjunctam; & vicissim conventionem fœderalem, in qua erigenda respectus habeatur ad dispositionem testamentariam, indicent ac demonstrent; (a) denique & illa: retinenda est generalis vocum illarum significatio, ac deinceps in Scripturæ explicatione, ea ex variis specialibus accommodanda, quæ materiæ per contextum tractatæ conveniens, atque distinctum tum vocabulum Latinum vel *fœderis* vel *testamenti* vel *constitutionis* eo trahendum. (b)

(t) *De cujus apud profanos usu vid. GROTIUS de J. B. & P. II, 15. 2.* (u) *in Jer. 1. & Mal. 2.* (x) *De Christi Regno Gloriæ Diss. ad Luc. 22, 39. p. 15.* (z) *Docente id ex Græcorum monumentis Cel. G. EUDÆO Comm. Ling. Gr. p. m. 628 seqq.* (a) *Quæ posterior ex FLAC. Præf. quam Glossæ suæ in N. Test. præmisit, depromta.* (b) *Quod exemplo illustratum vide apud A. RIVET. Comment. in Ex. C. XXIV. p. m. 127. B. m.*

Homonym. §. IV. Cæterum cum vox ברית πολύσημον sit in sacro Vet. Testamenti Codice, & *modo* conventionem inter duos plurefve de pace & amicitia mutua (c) sensu politico: *modo* gratiosam & liberam dispositionem rerum, ad quam alterius partis adstipulatio æque non requiritur: (d) *modo* fidem & constantiam in promissis & dictis: (e) *modo* statutum firmum & immutabile in rebus etiam inanimis quæ consentire nequeunt: (f) *modo* liberam promissionem præcipue gratiæ Messianæ, ubi ab altera parte nihil requiritur, nisi receptio promissionis & fides in eandem; uti à parte promittentis nil nisi constitutio & promulgatio postulatur,(g) notet, quinam ex variis istis significatibus ad hunc nostrum locum maxime quadret? quæritur. Ad quam quæstionem ita generatim respondeo: τὸ ברית i. e. *fœderis* appellatione nihil aliud hic venire quam divinam declarationem de ratione percipiendi amoris DEI, & unione ac communione ipsius potiendi hic & in æternum. Qua ratione si homo rite ex præscripto divino utitur, in amicitia Dei est, sive Creator, ipsius Deus est peculiari ratione *Gen.* 17, 6. est unus spiritus cum DEO 1. *Cor.* 6, 17. est unum cum ipso *Joh.* 17, 21. Cum qui extra fœdus hoc sunt ἄθεοι sine DEO esse dicantur *Eph.* 2, 12. Ipsum autem hoc fœdus sic generatim dictum, pro diversa ratione percipiendi amoris divini, vel *operum* vel *gratiæ* esse dicitur. Prius ante lapsum cum primo generis humani capite Adamo Deus iniit sub conditione accuratissimæ legum divinarum observationis, tanquam fundamenti constitutivi, cui, ratione hominis, fœdus illud primum innitebatur. Legale hinc, operum, justitiarium & naturæ fœdus dictum, quod hæc absque speciali suscitatione & assistentia ad legem servandam idonea fuerit. Vi hujus fœderis ea justitiâ comparere coram DEO tenebatur homo, secundum quam sine acceptillatione, ἐπιεικείᾳ aut rigoris renunciatione, DEUS juxta veram causæ conditionem hominem justum æstimare & pro-

Fœdus ante Lapsum Legale.

(c) *Gen.* 14, 13. 21, 27. 32. 26, 28. 29. *& passim alibi.* (d) *Gen.* 6, 18. 9, 9. 10. 11. *alibi.* (e) *Es.* 33, 8. (f) *Jer.* 33, 20. *Job.* 31, 1. *Gen. l. c.* (g) *Gen.* 15, 18. 17, 20. *sqq. coll. Luc.* 1, 72. *Act.* 3, 25. *Exod.* 2, 24. 6, 4. *coll. cum Gen.* 15, 13. *Sq. Lev.* 26, 42. 2. *Sam.* 23, 5. *Psal.* 105, 5--10. *Jerem.* 31, 31.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862154596/phys_0038
DFG

& pronunciare posset, uti adhucdum neminem, nisi tali justitia, etsi aliena exornatum, justificat, nec salva justitiæ divinæ gloria aliter justificare potest. Etsi vero non diffiteamur inter Deum & creaturam fœdus proprie dictum locum non habere, (h) sed posse eumdem imperio prorsus herili uti, quod plus terroris habet suique metu authoritatem confirmat; omnis tamen modus, quo Deus benignus cum homine agere semper instituit, satis demonstrat, ipsum tanta amoris & mutuæ obligationis conjunctione temperare imperium suum, ut, quos severitate minisve posset, eos libera mutuaque obligatione, tum beneficiis, precibus etiam blandisque verbis commovere & quasi allicere studeat. Patrem se vocat, sponsum & maritum, ut mœchari & conjugium dissolvere dicamur, cum nos à DEO avertimus. *Os. 2. Mich. 6, 3. Ez. 16, 6. Eph. 5, 25.* alibi. Quo efficitur, ut jam homo, certissimo ad beatitudinem aditu sibi facto, eam non ex mera solum bonitate, & naturali creatoris in creaturas amore, sibi quoquo modo promittere, verum etiam ex pacto & conjugali quasi contractu, adeoque propter veritatem & fidelitatem DEI, certò, majorique animo expectare possit. Tali igitur societatis forma, DEUM sibi hominem integrum junxisse profitemur, quæ eminentissimum ipsius Dominium in hominem plene subditum, assereret quidem & tueretur, sed tanta simul φιλανθρωπία & benignitate illud idem temperaret, ut DEUS hominem veluti fœderatum suum, atque amicum intimum & æqualem tractaret. Et cum DEUS suas cum homine actiones sæpissime grato fœderis vocabulo designet, omnium maxime statui primævo id nominis relinquendum esse, existimo. (i) Quæ ipsa assertio utut contradicentibus eidem Arminianis, (k) Socinianis & aliis (l) displiceat, tam authenticum tamen hujus rei instrumentum nobis est sacer codex, ut nullo modo negari possit. Nam ut taceam,

(h) *Differ. rationes inter Fœdera divina & humana vide exposita à laudato Dn. D. PFAFF. Inst. p. 274. seq.* (i) *Conf. ex nostris B. W. LYSER. Syst. à p. 1197. ad 1209. D. G. CALIXT. de Pactis. D. HÆBERLIN. Disp. de Fœd. Nat.* (k) *vid. os Arminiann. S. EPISCOP. Disp. Theol. Tripart. P. III. Disp. XII. §. 1.* (l) *vid. b. JÆGER. Jus Dei Fœder. p. 16. REUTER. l. c. p. 4.*

taceam, quæ communis Theologorum noſtrorum eſt ſententia, fœdus Sinaiticum, *quoad Subſtantiam* nihil aliud fuiſſe, quam repetitio eorum, quæ geſta ſunt inter Deum & Adamum in Paradiſo, excepta ſola arbore vetita; locus *Hoſ.* 6, 7. ſatis clare id evincit, quando enim ita de Iſraëlitis Propheta: המה כאדם עברו ברית *ipſi fœdus transgreſſi ſicut Adam*, vocem Adam cum præſtantiſſimis Interpretibus (m) non *appellativè* de homine, ſed *propriè* & perſonaliter accipimus, ut ſenſus iſte ſit; imitantur Judæi primum ſuum & totius Orbis Parentem, Adamum: nam, ſicut ille in paradiſo terreſtri, ita ipſi ibidem, i. e. in paradiſo ſpirituali in templo & urbe Hieroſolyma fœdus meum tranſgreſſi, Patrem ſuum imitantur. Neque obſtat huic interpretationi, quam quidam objiciunt, שָׁם demonſtrativi abſentia, argumento ex loco huic ſimili *Job.* 31, 33. collato *Gen.* 4, 25. 5, 3. 4. 5. petito.

Ruptum. §. V. Quamdiu fœdus hocce primum duraverit & quando illud violatum ſit, id quidem tacente Scriptura lubentes ignoramus; diſruptum fuiſſe novimus & magno noſtro damno experimur; & cum de pœna adeo fœderis rupti nos participare reipſa ſentiamus, de culpa quoque nos participare intelligimus. Nam ſi punitur, qui culpam actualiter commiſit in ſua perſona ob culpam commiſſam; non poteſt non eſſe in κοινωνίᾳ culpæ, qui cum eo, qui actualiter deliquit, venit in communionem pœnæ. Ut vero prolixiorem quæſtionis: An & quomodo violatio fœderis primi, poſteritati imputetur, omnesque Adami poſteri, fœdifragij illius, cum nondum extiterunt, facti rei ſint? tractationem h. l. inſtituamus, noſtri inſtituti ratio non fert. (n) Illud tantum inde colligimus, Eliam fœderis relicti populum accuſantem, ad primum iſtud paradiſiacum non reſpicere, cum hujus reſpectu

(m) *Hieron. Luthero, L. Oſiandro aliiſque, quibus ex Judæis addendus Raſchi.* (n) *Videndi B. SCHERZER. Coll. Anti-Soc. Diſp.* 34. *p.* 287. *B. JÆGER. l. c. qu.* 29. *Firmamentum affirmativæ in eo eſt poſitum, quod Adamus in fœdere illo primo non pro ſe tantum ſteterit, ſed perſonam geſſerit publicam totius generis humani; & ſe habuerit ut caput ejuſdem non ſolum naturale & ſeminale ſed etiam ut morale & fœderale. Quod dum negavit ante hos LXX. & quod excurrit annos in Gallia Joh. Placæus Profeſſ. Salmurienſis, magnas excitavit lites, Synodo nationali* 1644. *habita, qua ſententia Placæana damnabatur, tandem ſopitas.*

spectu non major Israëlitarum quam omnium in hoc universo hominum culpa sit. Unde in alterius cujusdam derelictione investigandum nobis populi istius peccatum nunc est. Id autem Gratiæ fœdus §. præced. diximus; cujus de natura & indole paucis quoque videndum.

Fœdus post Lapsum Gratiæ.

§. VI. Nimirum postquam homo in summas calamitates lapsu primo prolapsus, nulla hominum ope eripi, nec ipse pretium pendere, nec rationem aliquam excogitare poterat, qua justitiam sibi comparare, aut DEUM reconciliare, cum eodemque in gratiam redire posset, *Ps.* 49, 8. *Es.* 53, 7. 57, 17. 18. à misericordia divina *gratiæ fœdus* profectum, hoc est, illud novum cum hominibus pactum, quo DEUS his gratiæ suæ auxilia omnia, salutemque æternam promisit, si in Christum Filium suum & Messiam crederent, eumque adeo salutis ordinem qui ab hoc præscriptus, inirent. Hoc fœdus gratiæ, in eo mox à priori, quod legale & operum dicebatur, quam longissime recedit, quod nudæ sit gratiæ nec legale unquam aut legalibus conditionibus (o) superstructum aut suspensum; ἀναλογίαν hinc quandam cum illis habens, quæ μονόπλευρα Philosophi vocant & inæqualia, cum quis beneficia promittit nec restipulatur; quo termino etiam B. SCHMIDIO ad *Gen.* 17, 4. 15, 17. 17, 7. uti placuit. Nisi conditiones fœderis dicere velis, quæ alio respectu ad beneficia fœderis pertinent: ipsam resipiscentiam ac fidem & novæ vitæ initium, progressum, & non intercisam continuationem & beatam illius consummationem, quæ ipsa eodem fœdere DEUS se daturum gratiose pollicetur *Jer.* 31, 33. 32, 38. 39. 40. Et hoc sensu etiam accipiendæ sunt illæ conditionales particulæ *si*, *nisi*, *quatenus*, quibus ipsa S. S. in hoc negotio passim utitur, *Es.* 7, 9. *Matth.* 5, 20. 18, 3. *Jo.* 8, 24. 51. *Rom.* 10, 20. *Col.* 1, 23. 1. *Tim.* 2, 15. 2. *Petr.* 1, 4. *Ebr.* 3, 6, 14. &c. Conditiones vero stricte legales meritorias, nec Scriptura ullibi

E agno-

(o) *Actum hac de re est ab omnibus illis qui in diversas à Concil. Trid. Sess. VI. Can. 9. à* BELLARMINO *item L. IV. de Justif. C. 2. & L. V. c. 3. aliisque ipsi ὁμοψήφοις abivere partes V. inpr. B.* GERHARD. *Loc. Th. T. III. de Evang. ab illis item, qui, motas sub infaustis Antinomorum, Neonomorum, Brovnistarum nominibus in Britannia turbas, examinarunt. vid. Jo.* HOORNBECK. *Summ. Contr. L. 10. de Brovnist. H.* WITS. *Misc. S. T. II. p. 829. sqq.*

agnoscit, nec à nobis admittuntur, B. LUTHERUM secutis *Comm. Maj. in Gal.* 4, 44. Die Verheissungen des N. Testaments haben keine angeheffte condition oder Bedingung/ fordern auch nichts von uns/ das wir thun sollen/ stehen auch nicht auff der Würdigkeit unserer Verdienst/ sondern bieten uns an und schencken uns auß lautern Gnaden/ Vergebung der Sünden und ewiges Leben/ allein um Christus willen. Quibus paria sunt quæ in Apologia A. C. Articc. de Justificatione & Pœnitentia traduntur. Vera enim & proprie dicta fœderis hujus conditio unica illa est, ut omnis justitia, in qua jus vitæ unice fundatur, præstetur à Mediatore & sponsore fœderis. Qua posita, consequitur, non posse ab homine ullam conditionem proprie dictam exigi, qua sibi immunitatem à pœna, aut jus vitæ acquirat.

Unum & perpetuum.

§. VII. Ipsum autem hoc gratiæ fœdus unum est post hominis lapsum, idque solum salvificum, idemque omni tempore, DEI cum homine ad salutem perducendo fœdus. Christus enim ubique & semper fuit objectum fidei ad salutem, & per ipsius gratiam salvati sunt omnium temporum fideles, quotquot salvati sunt à primo hujus fœderis initio, (p) statim post lapsum intimati; ubi post maledictionem hominis ob peccatum, DEUS eadem oratione, qua damnavit diabolum, promisit gratiam Christi ad justitiam *Gen.* 3, 15. inde vero πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως per tabulas quasi Testamentarias patefacti. Donec tandem clarissima testamenti fœderalis apertio & confirmatio facta, cum Christus ipse venit hæreditatemque actuali satisfactione confirmavit. Hic vero porro notandum gratiæ hoc fœdus quoad substantiam unicum, ratione circumstantiarum quarundam duplicem habere

Licet sub diversa œcon.

(p) *Quod argumentis, partim ab immutabili Dei sanctitate & justitia, partim ab hominis corruptione depromtis, partim ex clarissimis S. S. testimoniis petitis Act.* 4, 12. 15, 11. *&c. dudum à nostris est demonstratum. v.* B. SCHMID. *de Fide in Messiam Patriarch:* CALOV. *de uno salvandi modo Disp.* Wilh. LYSER. *Trifol. Ver. Relig.* B. MAIUS *Synopsi Theol. Jud. & Diss. Sacr. Loc. VII. Quibus adde quæ Sec. Super. à Theologis Saxonicis Electoralibus contra Theol. Helmstadienses in hac materia luci publicæ fuerunt exposita, quorum historiam luculentissime & sigillatim exposuit* Dan. HARTNACC. *in Micræl. Cons. ext. IV. de Syncret.*

bere οἰκονομίαν & duplex tempus, Veteris scil. & Novi Testamenti; sive quod idem: circa unum suum Testamentum ab æterno constitutum, duas dispositiones Testamentarias externas DEUM feciſſe, quarum prior Vetus, altera Novum Testamentum appellatur. Qua Testamenti appellatione nihil aliud venit, quam certus status Eccleſiæ, in quo hæc ipſa juxta distinctas temporum periodos, vel sub umbris & ceremoniis typicis cultuque moleſtiore, vel his omnibus liberata consiſtit. Ut semper tamen supponatur ille significatus vocis proprius, quo declarationem gratioſæ voluntatis circa bona hæreditaria notat, propter mortem Chriſti redemtoris danda, ſive mors illa promiſſa fuerit & adhuc imminens, ſive jam completa; hoc enim ſenſu dicimus unicum tantum omni tempore eſſe Fœdus divinum idem ſemper & perpetuum.(q) Quoniam vero unica hæc divina diſpoſitio, tempore quidem priore sub multis typicis ritibus in morte pecuina & figuris corporeis, obſcuriore & moleſtiore doctrinæ cultuſve genere propoſita fuit; tempore autem poſteriore iſta omnia ſublata ſunt & remotis umbris ipſo Chriſto præſente, docente, moriente, atque ſe ipſum in Sacramento exhibente, ſtatus Eccleſiæ clarior, facilior ac jucundior redditus: tum etiam quia antiqua illa diſpoſitio umbratica, aliis libris ac veluti tabellis teſtamentariis, quæ vaticiniorum iſtorum complementum & majorem rerum omnium perſpicuitatem continent, conſcripta eſt; hinc fit ut dicantur duo eſſe Teſtamenta, quatenus duæ diverſæ cultus vel rerum divinarum diſpoſitiones externæ, antiqua una, altera nova: & duæ teſtamentariæ tabulæ, antiqua in figuris & vaticiniis obſcurius, & nova in figurarum & vaticiniorum complementis clarius conſcriptæ deprehenduntur. (r)

Vet. & Novi Teſt.

(q) *Idem enim ſemper Salvator, eadem fides, eadem quoad ſubſtantiam bona, eadem hæreditas, eadem lex moralis.* (r) *De differentia & convenientia duorum iſtorum Teſtamentorum, de Novi item præ vetere prærogativis, vide Cel. PFAFF. l. c. REUTER l. c. p. 125. ſeqq. qui etiam oſtendit quomodo Theologi noſtri intelligendi ſint quando aſſertum quandoque in eorum monimentis reperitur: poſt lapſum etiam dari duplex fœdus alterum legale, Sinaiticum, condemnans: alterum vero gratiæ & Evangelicum; duo item illa Teſtamenta, quæ diximus eſſentialiter non accidentaliter differre. p. 131.*

Quorum prius iterum suas habet periodos:

§. VIII. Porro ejus, quod Vetus diximus, Testamenti iterum quædam fuerunt œconomiæ notabiles inprimis, ea scil. quæ fuit *ante legem* & *legalis* quæ in fœdere Sinaitico cœpit; prioris, istæ constituuntur ætates: ab Adamo ad Abrahamum & ab hoc ad Mosen; ad quam posteriorem inprimis referendum circumcisionis Sacramentum, tanquam signaculum fidei & fœderis gratiæ maxime solenne, *Gen.* 17, 10. *Rom.* 4, 11.(s) & illa de semine monadico, ex lumbis Abrahami prodituro, illustris promissio. Legalis vero œconomia ab interventione Legis ex monte Sinai solenni, dicta, priori contraria nequaquam fuit, promissioni scil. gratuitæ & testamento jam prius facto, neq; irritum illud reddere & rescindere vel potuit vel debuit, (t) sed ideo fuit introducta & sancita ut ostenderet quid homo DEO debeat; quæ sanctitas requiratur ad unionem & communionem cum DEO; quæ maledictionis vis, quæ impossibilitas carnis ad subjiciendum se DEO *Gal.* 3, 19. *Rom.* 4, 15. 2. *Cor.* 3, 6. *Rom.* 5, 20. *Gal.* 3, 10. 13. utque jugo isto & onere δυσβαστάκτῳ pressi Israëlitæ elati, & duræ cervicis ad gratiam & misericordiam divinam tempusque promissi Messiæ tanto adspirarent ardentius. Quemadmodum ipsum etiam hunc legis suæ scopum DEUM in Regibus, Prophetis aliisque, etsi paucioribus, ex voto assecutum fuisse, relatum legimus. Cum vero multus legislationi isti terror adfuerit, & fœderis operum quoque axiomata repetita fuerint, *Lev.* 18, 5. *Deut.* 6, 25. hinc factum ut carnales Israelitæ, qui longe maximam populi partem faciebant, ad consilium DEI non uti oportebat attendentes, à fœderis hujus sensu vero turpiter aberrarent, illudque amplecterentur quasi esset fœdus operum, atque ex eo suam quærerent salutem, *Rom.* 9, 31. 32. Adeoque quamvis hæc œconomia sub lege promissiones justitiæ per fidem & alterius civitatis seu cœlestis mansionis etiam habuerit, ad eos tamen qui promissionibus fidem nec dum miscuerunt, nil utique nisi fœdus operum adhuc pertinebat & sententiæ istæ rigorosæ: hoc

(s) *à Mose dein cum reliquarum ceremoniarum apparatu conjunctum & copulatum, Jo.* 7, 22. (t) *Unde & fœdus Sinaiticum operum fœdus nequaquam dicendum esse rationibus solidissimis probat* WITS. *Miss. S. T. II. Ex. V. §.* 25. *&* REUTER. *p.* 139.

hoc fac & vives: si vis ingredi vitam, serva mandata &c. Hisque neque per legem ceremonialem (introductam ut esset manuductio ad Christum promissionum complementum, utque constantem suam de promissionibus exhibendis voluntatem DEUS subindicaret *Hebr.* 8, 5.) purificabantur terrena sed omnia immunda erant, *Es.* 1, 11. *seqq.* Interim manebat integra optio, vellent ne per legem damnari, an per testamentum DEI servari. Quam optionem Moses populo fecit, *Deut.* 30, 19. 20. proprium suum ministerium quod est mortis, veluti separans ab eo, quod post patres obtinebat ad repetendam promissionem. Et qui istam optionem ex intentione divina ut decebat, instituebant, illis remissio peccatorum, (u) justificatio & vita æterna à spiritu adoptionis actu collata fuit, *Rom.* 9, 4. *Gal.* 3, 16. *Eph.* 2, 12. utut forma hujus œconomiæ externa, de cætero servilis multisque umbris distincta fuerit, *Gal.* 4, 1. 3, 23. *Rom.* 4, 6. *Hebr. tot. Col.* 2, 17.

§. IX. Visis iis, quæ ex amplissima de Fœderibus divinis materia ad institutum nostrum pertinere videbantur, non sane de solo circumcisionis fœdere illud quod dereliquisse ab Elia Israëlitæ dicuntur, accipere possumus cum Judæorum Magistris, quorum ex *Sepher Minhaghim* *Jo.* BUXTORFE. (x) commenta ista refert & somnia: quum aliquando Judæis circumcisione interdictum esset, tantum ex eo dolorem animo concepisse Prophetam Eliam, ut in spelunca vitam cum morte commutare decreverit & cum ita eum affatus DEUS esset: quid hic agis Elia! respondisse illum: Zelo zelatus sum pro Domino DEO exercituum, quia filij Israël dereliquerunt pactum Domini, pactum nempe circumcisionis. Tum itaque DEUM promisisse Eliæ eum semper circumcisioni interfuturum, ne filij Israël pactum illud amplius derelinquerent, sed rectè & ritè deinceps administrarent: sicut scriptum est: ecce Angelus fœderis veniet. Atque hoc fine (narrante ibidem Buxt.) cum ad circumcisionem se præparant, ante omnia duo sedilia sternunt & instruunt, alterum pro arbitro initiationis, alterum vero pro

Quodnam h. l. intelligatur?

Negative.

(u) *Non nuda πάρεσις quam ab ἄφεσει distinguunt Coccejani vid.* COCCEIUS *Collat. de Fœd. & Test. Dei §. 353.* (x) *Syn. Jud. p. m. 80.*

Elia, quem simul cum puero ingredi & in eodem federe existimant, ut observet, an circumcisionis fœdus rite observetur; & cum sternunt clara voce & verbis expressis dicunt: hæc est sella Prophetæ Eliæ; nisi id expresse addatur, circumcisioni ipsum non interesse, persuasi. Sed missis hisce fabellis, quibus Judæorum cœcæ mentes & pectora cœca sibi placent, fœdus h. l. dicimus esse singularem illam dispositionem aut conventionem fœderalem Israëliticam, qua DEUS Judæis in liberatione Ægyptiaca voluntatem suam cum cerimoniis Leviticis typicis gratiose proponebat, eosdemque sibi ut electum populum obstringebat, ut ipsi soli adhærerent, cultusque demonstratos in veris suis finibus ac rationibus observarent, ac Messiam futurum, verum liberationis agnum in iisdem expectarent. Accuratè enim loquendo, patefactio illa voluntatis divinæ in Sinai, non erat *novum plane fœdus*, sed singularis applicatio erat universi illius fœderis gratiæ, quod DEUS in paradiso constituerat, atque in mulieris semine firmarat. Adeoque cum fœdus reliquisse Israëlis filij dicuntur, sensus accusationis ille est, quod nec legem moralem, neque, cum eam servare haud potuerint, totam gratiosam DEI dispositionem ad consequendam salutem vera fide adhibuerint ac retinuerint. (z) Formulam enim istam in libris V. Test. frequentissimam: servare fœdus, servare legem & instituta, obedire præceptis, exponendam esse censemus, non de nuda & rigorosa legum proprie dictarum observatione, sed præcipue de observatione fœderis gratiæ, omniumque partium veræ Christianæ fidei & salutaris religionis; consentiente nobiscum B. *D. Jo. B.* CARPZOV. (a) Moses will durch die Worte nicht den Gesetz-Bund/ sondern vielmehr und zwar hauptsächlich/ den Evangelischen Bund verstanden haben. Denn zur selbigen Zeit wurde Gesetz und Evangelium zugleich angedeutet/ wenn man das Gesetze nennete: sintemal das Ceremonial-Gesetz eine Vorstellung des Evangelij war/ wovon die Epistel an die Ebräer sattsame Erklärung gibt. Quibus probe observatis, intelligi potest Scriptura, quando sacrificia

Positivè.

(z) *conf. B. DORSCH. & CALOV. in Ebr. 8, 9.* (a) *Harm. Evang. Conc. in I. diem festi Pentec. init. in verba Deut. 29, 9.*

ficia à DEO in eâdem rejiciuntur, quasi nunquam ab ipso data vel mandata fuissent, 1. *Sam.* 15, 22. *Ps.* 40, 7. 50, 5. 8. 9. 51, 18. 19. *Es.* 1, 11. 12. 43, 23. 66, 1. *seq.* *Jer.* 6, 20. 7, 4. 21. 22. *Ez.* 20, 26. *Os.* 6, 6. 8, 13. *Amos* 5, 21. 22. 25. *Mich.* 6, 6. 7. *Mal.* 1, 10. 11. 2, 13. quando de toto cultu ceremoniali, ut DEO abominabili ipsa loquitur, 1. *Reg.* 8, 27. *Es. l. c.* 29, 1. 13. *seq.* 41, 29. 48, 1. 2. 58, 1. *seq.* *Jer.* 3, 24. 4, 4. 14. 9, 26. 11, 15. *Os.* 2, 11. *seq.* *Act.* 7, 48. 49. quatenus nimirum ut nudæ leges & ceremoniæ, absque intentione DEI Evangelicâ à Judæis perversis cuncta ista considerabantur; & in nuda naturali conditione sine respectu typico. Ex qua perversa Judæorum hypothesi, de circumcisione ut nuda constitutione legali Apostolus agit *Rom.* 2, 25. *Gal.* 4, 2. 3. 5, 11. *coll.* *Act.* 15, 5. eandemque partim ut extra Christum consideratam, partim ut abrogatam tanquam nudam ceremoniam contemplatur, *Rom.* 2, 27. 1. *Cor.* 7, 19. *Gal.* 5, 6. 6, 15. *Phil.* 3, 3. *Col.* 3, 11. Imò de universo Levitico cultu, legibus ritibusque, in Epistolis ad Galatas, ad Colossenses, præcipue vero ad Ebræos durius, & fermè abjecte, dicente B. Luthero, ipsa loquitur; quatenus nimirum Christi merito hæc opponebantur, & post factam abrogationē sub opinione consequendæ salutis acriter defendebantur, & justitia in istis operibus, non ex fide quærebatur. vid. *Rom.* 9, 30. 10, 3. 11, 7. 9. Ut adeo universæ accusationis summa huc tandem redeat: DEUM obtulisse Israëlitis fœdus gratiæ suæ, sed id multis legibus & ritibus vestitum, & cum solenni legis moralis promulgatione conjunctum, tum majore cum onere & rigorosiore ceremoniarum observatione datum. Israëlitas vero fœdus illud neque recte in finibus suis Evangelicis investigasse, nec adhibuisse, sed ut nudas leges servandas respexisse imò nec leges ipsas observasse, sed insuper omnibus habitis, proprium sibi cultum, DEO plane abominabilem constituisse, & jam, nuncio quasi Deo misso, idolis totos adhærere. (b)

Derelict. Fœderis modus Sc. phrasi expl.

§. X. Ad ipsam nunc quæ arcto cum fœderis relictione nexu conjuncta est, Idololatriam Israëlitarum progrederer,

(b) *Conf.* SCHMID. *in Jer.* 31, 2. *p.* 217. *m.* &, *ex quo nostra quadam hactenus fecimus,* B. REUTER. *l. c.* 158.

derer, nisi quasdam, quibus ipse Spiritus Sanctus istius derelictionis modum exprimit, formulas in medium afferendas esse existimarem. *Deut.* 31, 16. ita ad Mosen JEHOVA de populo suo: me derelinquet & irritum reddet fœdus meum quod excidi cum ipso. *Ex.* 32, 8. recesserunt à via quam præcepi eis. ℣. 25. populus dissolutus fuit. *Jos.* 22, 16. 18. transgressi estis contra DEUM Israëlis, avertendo vos a-post JEHOVAM; rebellatis contra JEHOVAM. 1. *Reg.* 9, 9. deseruerunt JEHOVAM, DEUM suum & adhæserunt Diis aliis. 1. *Reg.* 11, 33. deseruerunt me. 1. *Reg.* 14, 9. de Jeroboamo: abjecisti me post tergum tuum. 2. *Reg.* 17, 15. non obediverunt, sed indurarunt cervicem suam, repudiarunt statuta ejus & fœdus ejus, quod pepigit cum patribus eorum. 2. *Reg.* 18, 12. non obediverunt voci JEHOVÆ, DEI sui, sed transgressi sunt fœdus ejus, cum omnibus, quæ præcepit Moses servus JEHOVÆ. 2. *Reg.* 17, 38. fœdus oblivisci & timere Deos alios. 2. *Reg.* 17, 21. de Jeroboamo: abripuit Israëlem à-post JEHOVAM, ac peccare fecit eos peccatum magnum. *Es.* 1, 2. 4. Prævaricati sunt contra me; dereliquerunt JEHOVAM; provocarunt sanctum Israëlis, abalienarunt se retrorsum. *Jerem.* 5, 5. fregerunt jugum, convulserunt vincula. *Jer.* 11, 10. Reversi sunt ad iniquitates Patrum suorum priorum, qui renuerunt audire verba mea: ipsique abiverunt post Deos alios ad serviendum his: irritum reddiderunt domus Israëlis & domus Judæ, fœdus meum, quod pepigi cum patribus ipsorum. *Jer.* 22, 9. deseruerunt fœdus JEHOVÆ DEI sui, & incurvarunt se Diis aliis. *Jer.* 23, 27. de falsis Prophetis: Nam cogitant facere, ut obliviscatur populus meus Nomen Meum per somnia ipsorum —— quemadmodum obliti sunt Patres eorum Nomen Meum per Baalem: *Neh.* 9, 26. exacerbarunt & rebellarunt contra Te, rejeceruntque legem Tuam post tergum suum. *Ps.* 78, 10. Non servarunt fœdus DEI, & in lege ejus renuerunt ambulare. ℣. 57. Recesserunt & perfide egerunt, sicut patres eorum: aversi sunt sicut arcus fraudis. *Psalm.* 81, 12. non obedivit populus meus voci Meæ, & Israël non acquievit Mihi.

§. XL

§ XI. Sed fœderis illa derelictio, cujus enormem plane impietatem describendo, vix sibi satisfacit Spiritus Sanctus, comitem habuit idololatriam plane abominandam. Hanc inter & superbiam comparatione instituta, qui magno Basileæ suæ ornamento est, D. D. *Sam.* WERENFELS (c) aliquid sibi observasse videtur, quod an huc usque satis sit perpensum, dubitat: ad utrumque scilicet vitium vehementissime propendere homines; sed hac tamen cum differentia, quod rudes qui sunt, carnales, atque infantibus similes magis propendeant in idololatriam; sapientiores contra & politiores magis in superbiam; & hîc mire elucere DEI in Scripturis sapientiam. Israëlitas fuisse populum rudem, carnalem, nescio quid infantile spirantem, ac propterea in idololatriam propensissimum: quare DEUM in Vet. Test. potissimum occupatum esse in eradicanda ex hoc carnali populo idololatriâ: huc ante alia tendere legem; huc dirigi & promissiones & comminationes; huc facere tot miracula, quibus se DEUS à falsis gentium diis distinguit, tot in idololatras DEI judicia; atque adeo in ipsum populum suum, quoties idololatriâ se polluit: huc tendere crudelem illam in speciem, populorum idololatricorum devotionem, & prohibitum Israëlitis cum iis commercium. Omnia spectare ad hujus criminis horrorem Israëlitis incutiendum. Mosen & Prophetas ubique sibi idololatriam debellandam proponere. Denique in omnibus V. Test. partibus nihil aliud clamare videri DEUM, atque illud, quod est apud Esajam: Ego sum JEHOVA illud est nomen meum, gloriam meam alteri non dabo nec laudem meam sculptilibus. Eundem perversissimum sane Israëliticæ Gentis genium, illæ DEI καρδιογνώστε ipsius, & Mosis de ipsâ prædictiones *Deut.* 31, 16. 20. 27. 29. satis superque evincunt; & tristis qui iisdem respondit eventus; quem juxta temporum annaliumque ecclesiasticorum seriem eundo, facile quidem esset probare, si instituti nostri ratio id permitteret. (d) Missis itaque ambagibus, præsentem, quem

Derel. Fœd. conjuncta cum Idolol.

F

(c) *Opusc. Theolog. Philos. Philol. A.* 1718. *editis. p.* 118. (d) *vide* B. D. MEISNER. *Prælect. in Loc. de Eccles. S. V. C. V. p.* 455. *seqq.*

quem in textu habemus, rerum ſtatum intueamur. Religionem, qualis in Iſraëlitico regno tum erat, ejuſque veram indolem, nervoſa brevitate complexus eſt incomparabilis DANNHAUER. noſter: (e) Synchiſin, chaos, ſaturam, ſyrupum Religionum vocans, wann man auß einer jeden Religion ein Stück herauß klaubet/ und ein quodlibet darauß machet/ als vor Zeiten die Jezabeliſche ein ſolche chimæra geweſt/ ſo beſtanden auß der alten Jüdiſchen/ neuen Jeroboamiſchen und frembden Sidoniſchen Religion. Peculiarem tamen idololatriæ ſpeciem, Prophetici zeli cauſam fuiſſe, illa piarum reliquiarum à DEO 1. *Reg.* 19, 18. data & ab Apoſtolo *Rom.* 11, 4. repetita deſcriptio indicat. Hanc priori Jeroboamicæ vitulorum ſuperadditam, àque hac 1. *Reg.* 16, 30. *ſeqq.* expreſſe diſtinctam, (f) Baaliſmum comode dicas, à *Baal.* Quo nomine ſummum & ineffabilem omnium rerum creatorem deſignatum primum fuiſſe doctiſſimus *Jo.* SELDEN. (g) ſentit, loco *Oſ.* 2, 16. in hanc potiſſimum ſententiam inductus. Illud certum nomen hoc ad profana traductum numina, quodvis idolum denotare & generale Deorum nomen eſſe, ſatente eodem. (h) Quoniam idololatræ totos ſe ei mancipant tanquam κυρίῳ *Domino*, & *Patrono* ſuo poteſtatem in ſe habenti. Unde & τοῖς LXX. *oi* Baalim 2. *Par.* 17, 3. εἰδώλα generatim dicti. Interim cum & 2. *Reg.* 11, 18. imaginis Baal & columnæ ſive ſtatuæ Baal 2. *Reg.* 3, 2. mentio fiat; hîc quoque de ſtatuâ aliqua inprimis t. t. famoſa ſermo eſſe videtur, cujus in honorem Templum ab Achabo exſtructum, & altaria ejus ibidem poſita fuiſſe diſertis verbis dicitur, 1. *Reg.* 16, 32. exque 2. *Reg.* 3, 2. (i) facile colligitur. Illud nimirum Tyriorum & Sidoniorum (quorum

Et quidem Baalitică.

Urbs

(e) *Salv. Reform. p.* 657. (f) *Cui* SELDEN. *jungit Aſtartes, ceu diſtincti à Baale, Sidonij numinis cultum à* 400. *illis Prophetis quorum* 1. *Reg.* 18, 19. *mentio fit, peragendum, argumento ex* 1. *Reg.* 16, 33. *coll. Jud.* 7, 13. 1. *Sam.* 7, 3. 4. *petito,* Synt. de DIs Syris. p. 147. & p. 146. *ubi voce* אשרה 1. *Reg.* 16, 33. *non locum arboribus conſitum, ſed ſtatuam Aſtartæ Deæ Sidoniæ ligneam denotari, contra Joſeph. aliosque evincere conatur ex* 2. *Reg.* 23, 6. (g) *De DIs Syris Synt. II. p.* 104. (h) *l. c. p.* 109. & 104. (i) *Qui locus cum* 2. *Reg.* 11, 18. *collatus Baalis cultum Judæ quoque Regnum occupaſſe, indicio eſt.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862154596/phys_0050
DFG

Urbs Phœniciæ maritima) celeberrimum idolum, (k) quod Achabus Rex ab Itsobale Gentis istius Rege, suoque socero, eximia quadam veneratione colendum acceperat, cujusque cultum uxorem crudelissimam & supra modum superstitiosam summa vi ursisse modisque omnibus promovisse veri omnino simillimum est. Atque huc etiam scriptura respicere videtur, tum cultus externi, signis corporeis, genuflexione & osculis 1. *Reg.* 19, 12. collato *Os.* 13, 2. *Rom.* 11, 3. Baali exhibiti, expressione; tum generis fœminini articulo, (l) nomini per se masculino addito *Rom.* l. c. Qui monet adjungendum esse τῇ βάαλ, vocabulum ejusmodi, quod & id ipsum & reliqua simul numina stercorea, significationis suæ complexu coerceat & contineat. Subaudiri autem commode poterit vel vox εἰκὼν ex 2. *Reg.* 10, 26. 27. ubi מצבה quæ Baali attribuitur LXX. ἐστήλωσαν, id est, *statuam* reddiderunt; vel εἰκόνι, quæ vox generalior, non fusiles tantum & sculptiles imagines sed pictas etiam indicat, & hebraico צלם respondet, *Num.* 33, 52. *Ez.* 23, 14. quod passim LXX. εἰκόνα interpretantur: nominatim vero 2. *Reg.* 11, 18. Ut adeo nihil de suo Erasmum adjecisse, quum *Rom.* l. c. τῇ βάαλ reddidit, *imagini Baal* & defectum sive ellipticam locutionem unius loci Scripturæ recte & erudite supplevit, vocabulo ex altero ejusdem Scripturæ loco consimili petito, jure meritoque pronuntiet N. FULLER. (m) Nisi forte cum Jo. SELDENO (n) dicere malis sexum idolorum nec Scripturam S. nec prisca gentium mysteria distinguere; ita enim l. c. ipse modestè satis *indiscriminatim*, inquit, *utroque sexu utebantur Gentes, &, ad earum forte ritum, septuaginta in sermone sacro idolorum cultum exprobrantes. Non ita tamen mihi placeo, ut verum me*

(k) *Quod quale fuerit, Hercules ne summus & antiquissimus Tyrionem Deus, magnus ille ἀλεξίκακος sive malorum depulsor, maximeque qui dubiis & angustiis tum Achabi rebus, opitularetur, idoneus à superstitiosis habitus? an alius Deastrorum gentilium? inquirere non vacat. Herculem fuisse* FULLER. *Misc. S. L. 2. C. 7. p. 202. probabile est. Digna lectu sunt quæ de utroque & Babylonio & Phœnicio Baale collegit M. R. DN. D. PFEFFINGER. Diss. de Nupt. Mixt. Pr. §. 13. seq.* (l) *A LXX. quoque passim adhibito vid. Jud. 3, 7. Jer. 2, 8. 11, 13. & 19, 5. & 32, 35. Os. 2, 8. &c.* (m) *Misc. S. L. 11. C. VII. p. 204.* (n) *Synt. de Dis Syris Synt. II. p. 149. 153. seq.*

hic assecutum omnino opiner; humanum est in his falli. Sed nimium fallor, si à vero non propius absimus quam qui pro τῇ Βάαλ, τῇ εἰκόνι τῦ Βάαλ aut simile quid in seniorum & Pauli interpretatione subaudiendum sentiunt. Idem tamen, quæ de sexus communione hîc dicit, locum non ubique habere, & εἰκόνα subintelligendum quandoque esse, alibi fatetur. (o)

Cujus indoles explicatur.

§. XII. Cæterum fuit hæc Baalitica idololatria, si formam ejus externam spectes, speciosa & gravis ad extra, ardens præ se ferens pietatis studium. In precibus erant valde prolixi & clamosi. Neque deerant illis præscriptæ singularis devotionis ceremoniæ, quibus ceu histrionicis actionibus cultum suum redderent conspectiorem. Sed quæ filiorum Israël, ipsi huic idolomaniæ, immani impietate nunc quoque deditorum, sententia de eadem fuerit, de eo quidem non eadem omnium est sententia. B. OSIANDER in 1. *Reg.* 18, 18. *Comm.* existimat: Israëlitas colentes Baal aut Baalim (quod vocabulum licet pluralis numeri, tamen singulariter usurpabatur sicut nomen Elohim) non putasse se alium Deum colere, quam Dominum illum creatorem cœli & terræ; sed usurpasse tantum in eo cultu novum modum, novos ritus, novas ceremonias, quas impia Jezabel ex patria sua urbe Sidone attulerat. Quæ eadem & C. T. RANGONIS (p) sententia est, quam R. Bellarmino L. 2. *Imag. Sanct.* c. 13. neganti: *Judæos in omnibus suis idolis DEUM verum colere voluisse; quia, quando colebant idolum Baal, non certe coluerint Deum verum, cum clarè Baal, opponatur DEO vero,* opponit; ostenditque illam oppositionem justa quidem interpretatione, non vero hominum semper intentione niti. Quibus paria sunt, quæ alter Stetinensis in Pomerania Ecclesiæ celebris quondam Theologus *B. D. Dan.* CRAMER. (q) habet: *non volebant,* inquiens, *videri aut insimulari, se recedere aut recessisse unquam à vero DEO, sed una cum Baal & per hunc cultus Baalitici modum, se ipsum verum DEUM venerari, haberi volebant: siquidem Elias hoc ipsis det testimonij, quod claudicent in duas*

Ex mente Israëlitarum.

(o) *l. c. C. VIII. f. conf. denuo* FULLER. *l. c. p. 199. ubi aliam novæ conjecturæ occasionem ex Hieron. suppeditat.* (p) *Histor. Syncret. p. 176.* (q) *Schol. Proph. Class. II. Præf. Dedic. p. 4.*

duas partes: h. e. quod putent se inservire simul posse & Baal & vero DEO, seque inserviendo Baal inservire simul DEO Juda, nec melius se posse vero DEO servire, quam per hanc Baaliticam suæ religionis formam. Ab hac, quos modo nominavimus, Theologorum explicatione, nonnihil recedunt alij, qui eousque impietatis populum Israeliticum processisse existimant, ut Baalem etiam pro DEO à Jehova distincto, haberet, & utrique tanquam DEO serviret, fundamentum huic explicationi præbente tum phrasi: in utramque partem claudicare; tum Eliæ argumentatione: si Jehova est DEUS, sequimini eum &c. Atque hujus quidem sententiæ Patronum deprehendo B. D. D. SCHMIDIUM nostrum; (r) cui meum quoque adjicere calculum nullus dubito, cum favere eidem videatur & populi ipsius vox 1. *Reg.* 18, 39. & comparatio cultus vitulorum Jeroboami & idoli Baal, 1. *Reg.* 16, 30. instituta; ubi grandior adhuc tetriorque idololatria dicitur, idolum Baal venerari DEO excluso, quam in vitulis & una cum illis verum & æternum DEUM adorare, & sic duplicati peccati & geminæ idololatriæ reum fieri. Ad quod discrimen procul dubio zelotes noster Elias respexit quando 1. *Reg.* 18, 21. populi inconstantiam & perfidiam arguit, his omnino verbis usus: *usque quo claudicatis in duas partes?* (s) *Si Jehova est DEUS, sequimini eum: sin autem Baal sequimini eum.* Israëlitarum inconstantia sita in eo erat, quod patriæ religionis amantes, avito quidem more verum DEUM colerent, (t) quamvis non ut decebat, sed sub vitulorum simulacris; neque tamen in isto idololatrico cultu acquiescerent, sed ut Regi & Reginæ placerent moremque gererent, ad Baalis quoque aras supplices accedant; (u) non satis perpendentes utriusque & Israeliticæ & Baaliticæ religionis nequaquam se participes esse posse, quod nulla plane DEUM verum inter & Baalem communio sit, quodque qui huic servit, illi servire nullo modo possit. vid. 2. *Corinth.* 6, 15.

(r) *Ann. in* 1. *Reg.* 18, 21. 37. (s) *Cujus formulæ vim erudite exponit* RANGO, *l. c. p.* 178. *seq. &* B. SCHMID. *l. c. illo Germanorum trito:* Auff beyden Achslen Wasser tragen *illustrat.* (t) *Non obstante huic assertio Ps.* 106, 19 *seq. sed explicando ex Ex.* 22, 4. 1. *Reg.* 12, 26. *seqq. & Ex.* 20, 4. (u) *vid.* C. SANCTIUS *in* 1. *Reg.* 18, 21.

6, 15. (x) Quibus ita se habentibus, Baalismus ejusmodi dici poterit idololatria qua in creaturam omnis divinus cultus confertur, æterno & vero DEO prorsus excluso; distincta ab ea, per quam DEUS quidem non excluditur, sed consors ei datur res creata, nominisque & cultus divini particeps constituitur. Illa primi & summi, hæc secundi & inferioris gradus est.

Destructio Altarium.

§. XIII. Ut autem de populi in Baalismo pertinaciâ inque verum veri DEI cultum animo, constaret certius, altarium quoque destructorum Propheta meminit: אֶת מִזְבְּחֹתֶיךָ הָרָסוּ, *altaria tua destruxerunt, suffoderunt, subverterunt* apud POLUM *Syn. Crit. in h. l.* Missis quæ ad ὀνομαλογίαν (z) & historico-Criticam de altaribus tractationem (a) spectant, quæ & qualia illa fuerint, quorum destructio tanta cum impietate ab Israëlitis facta Prophetæ nostro dicitur, potius videamus. Sunt qui tropum in verbis istis quærunt, sunt qui propriè eadem explicant. Priores per metonymiam signi pro re signata, altaris appellatione, universum DEI cultum intelligunt, cujus signum soleant esse altaria. (b) Hancque ipsam suam sententiam porro tum ex usu vocis metonymico Scripturæ probato *Es.* 19, 19. (c) tum ista probant ratione: quod altaria non nisi Hierosolymis tum fuerint, (d) quæ subversa nullibi legantur, licet idololatria con-

(x) *Quo loco si maxime ad Eliæ reprehensionem Apostolum respexisse dicamus, non tamen recte inde collegisse existimamur Cel. F. Ulr. CALIXTUM Diss. de Relig. Idolol. 1687. hab. §. 52. ejusdem Apostoli judicio, inter cultum veri Dei in vitulis, & illorum qui simulachrum Baal colebant, tantum intercessisse discriminis, quantum est inter justitiam & injustitiam, quantum inter lucem & tenebras, quantum inter Christum & Belial, quantum inter fidelem & infidelem, quantum denique inter DEI templum, & templum idoli. Ita enim Baalitica idolomania exaggeranda, ne interim Jeroboamica extenuetur.* (z) *De quâ vid. J. H. URSIN. Quinquag. Fest. C. 18. §. 9.* (a) *vid. CALVÖR. Ritual. Eccl. P. II. S. 1. C. 14. seqq. Jo. Chr. PFEIFFER. Aug. fil. de Altari Hierosol. exter. Tr. LUND. Jüd. Heiligth. 1, 25, 32. 2, 7, 21. & C. 16. RIBERA de Templo L. 2. C. 8. & 20. RAVANELL. Biblioth. voc. altare, alij.* (b) *Finis enim altarium generalis erat Latreuticus, neque posito altari ponendum etiam necessario est sacrificium, uti quidem BELL de Miss: L. 1. C. 14. & 16. sentit.* (c) *GLASS. Rhet. S. p. 421.* (d) *Quo ipso argumento B. GERHARD. quoque Loc. de Eccl. §. 89. & B. DANNHAUER. Hodos. p. 173. utuntur, probaturi de Judæ quoque Regno Prophetam loqui.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862154596/phys_0054
DFG

contaminata subinde & ipsa sint. Et si maximè concedatur in regno Israëlitico, alios servasse Domini statuta, alios Jeroboami Achabique, non tamen recte inde à CLOPPENBURG. (e) colligi, altaria DEO dicata ibi fuisse in quibus fideles obtulerint; aut Sacerdotes qui non erant de filiis Levi, 1. *Reg.* 12, 31. veris Dei cultoribus inserviisse; cum hi quidem pro veris Sacerdotibus haberi nequaquam possint, neque vel probata altaria & oblationes in excelsis DEO fuerint, vel dissimulata etiam talis ἀνομία propter λεῖμμα electorum à DEO recte credatur; cum dubium non sit electos ipsos abominatos esse tales ἐθελοθρησκείας & vel Hierosolymis sua obtulisse sacrificia, vel in occulto latuisse ut tempore Eliæ. Ita fere circa hanc quæstionem ratiocinantur B. GLASSIUS (f) & D. CALOVIUS p. m. (g).

§. XIV. Qui vero tanquam proprie dicta ista accipiunt, ut authoritate præstantes sunt, ita non una explicandi ratione utuntur. B. SCHMIDIO (h) nostro altaria h. l. *excelsa sunt, tum quidem licita, urgente necessitate edicti Regij, ut non abiretur Hierosolymas.* Nimirum ante constitutum à DEO locum fixum templumque conditum, passim à Viris sanctis exstructa in locis editis altaria (Domini hinc altaria Prophetæ dicta, quod in DEI honorem exstructa olim fuerint) fuisse, in quibus & Patriarchæ olim & populus quoque dein 1. *Reg.* 3, 2. sacrificavit, & sine quidem peccato, ejusdem Theologi summi ad l. c. sententia est. Et in ipsis his, qui inter X. tribus ab idololatria abhorrebant, & tamen Hierosolyma arcebantur, sacra Domino feciisse, non ipsi modo sed aliis quoque vero visum est simile. Ita enim Cel. Jo. LUNDIUS: (i) Es ist wohl vermuthlich / daß auch heimlich allezeit etzliche auß dem Stamm Levi da gewesen / die das Volck heimlich unterrichtet haben; auch wohl Priester / die auff den Höhen die Opffer dem wahren GOtt geopffert / deren Altäre Elias zubrochen seyn / klaget; in eo tamen à *Schmidio* dissentiens,

Alij propriè dicta putant.

(e) *Schol. Sacrif. p. 155.* (f) *Rhet. S. Tr. I. C. 4. n. 6. p. 68.* (g) *Bibl. Illustr. ad 1. Reg. 19, 10.* (h) *Annot. ad 1. Reg. 19, 10. & 1. Reg. 18, 30.* (i) Jüd. Heiligth. *L. IV. C. 9. §. 63. Quibus paria sunt quæ idem L. III. C. 33. §. 33. hanc in rem profert. add. D. D. LANG. Hist. Eccl. V. T. p. 378.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862154596/phys_0055
DFG

tiens, quod ipsa hæc excelsa & exstructa in iis altaria, utut veri DEI cultui adhibita, idololatrica tamen vocet & illicita, III, 33, 33. ordinationi quippe divinæ *Deut.* 12, 5. 6. 11. 13. 14. 17. 18. 26. 27. 28. *Deut.* 15, 20. 2. *Par.* 7, 12. adversantia; vi cujus post exstructum templum locumque fixum in hoc solo sacrificia sibi offerre DEUS voluerit; & à qua, nisi speciali divina permissione (k) accedente, vel latum unguem recedere fuerit nefas. Unde & hoc solo nomine, Reges aliàs optimos Assam 1. *Reg.* 15, 11. Josaphatum 1. *Reg.* 22, 44. Joasum 2. *Reg.* 12, 3. Amaziam 2. *Reg.* 14, 4. Usiam 2. *Reg.* 15, 4. Jothamum 2. *Reg.* 15, 35. reprehendi existimat, quod excelsa idololatrica quidem, non vero & alia utut veri DEI cultui dicata, everterint, cum Hiskia 2. *Reg.* 18, 4. *Es.* 36, 7. & Josia 2. *Reg.* 23, 8.

§. XV. Alij, apud CALOV. (l) per enallagen, illud hic altare intelligunt, de cujus restauratione 1. *Reg.* 18, 30. sermo est, quod b. GLASSIO (m) judice, ab ipso Elia tempore matutino extructum; à Baalitis vero, sarcasmis ipsius provocatis, eversum erat. Quæ quidem summi Philologi interpretatio facile probabitur iis, qui, quod ipse supponit, τὸ פסח non claudicandi, sed insultandi significatione cum ipso accipient, & reliquas, quas allegat, haud sane negligendas rationes, probe perpendent. Quas si examinare B. SCHMIDIO nostro placuisset, de causa dissensus à Glassio, certius utique Lectori constaret. (n) H. GROT. aliam adhuc D. Kimchij sententiam profert (o) juxta quam, altaria illa quæ eversa dicuntur, ea erant, quæ pij in X. tribubus sibi struxerant, ex quo permissi non erant ad templum ire, quo tempore lex de altaribus alibi struendis cessare videbatur. Sed quod de lege divina tum cessante Judæo hic visum, id nobis non videtur; qui, quo *jure*, divino juri derogare voluerint vel potuerint piæ illæ reliquiæ non videmus; *de facto* autem derogasse non credimus. Nobis quid in istac sententiarum varietate

Sententia nostra.

(k) *Qualem sine exemplo nactus Elias, in monte Carmelo sacrificans* 1. *Reg.* 18, 30. LUND. *l. c. III, 33, 30. dicitur.* (l) *Bibl. Illustr. Rom.* 11, 3. (m) *Philol. S. L. IV. Tr. II. p. 696. seq. consentiente* CALOVIO *l. c. qui non improbabilem hanc Sanctij sententiam dicit.* (n) *Annot.* 1. *Reg.* 18, 26. (o) *In not. ad Rom. XI, 3.*

rietate videatur, si dicendum, nihil in re incerta temere pronunciandum esse existimamus, sed vel τὸ ἐπέχειν amplectendum vel eam reliquis præferendam, quæ cum sensu per ipsa verba suppeditato quam maxime convenit. Qualis illa quæ sine tropo, sine figurâ, de pluribus altaribus sensu proprio dictis, Propheticam accusationem accipit, & de illis quidem, quæ jam olim in DEI honorem exstructa, & sacrificiis offerendis à piis Patriarchis adhibita, in Regno Israelitico adhuc supererant. Neque opus est existimo ut vel in asserenda eorum Eliæ tempore licentiâ, vel in vindicandis ab idololatriæ crimine circa eadem fidelibus, multum sudemus, cum nullibi sacrificiis (p) à quopiam t. t. dicata legantur; & Propheta quoque de illorum destructione conqueri videatur non per se, quasi simpliciter nefas fuerit illa aboleri (aboleri quippe potuerunt templo jam exstructo) sed per accidens, propter adjunctum contemtum Jehovæ (quem vel plane non, vel in vitulis tantum coli ipsi volebant) in animis destruentium, ipsi, gloriæ divinæ vindici, detestabilem.

§. XVI. Quam hactenus idololatricam vidimus Gentem, eandem ut crudelem quoque Propheta zelotes nunc sistit. Illi in quos rabidus gentis crudelissimæ furor convertebatur, Prophetæ fuerunt. Ita enim verba habent: אֶת נְבִיאֶיךָ הָרְגוּ בְחֶרֶב, *Prophetas tuos occiderunt gladio.* Frustra hîc L. B. Iliada, quod ajunt, post Homerum à nobis expectat, id est, superfluam repetitionem eorum, quæ in amplissimo de Prophetis & Prophetia argumento, luci publicæ à tot Viris doctissimis jam exposita sunt, ut ne nomina quidem titulosque omnium hæc pagina capiat. Lectori interim studioso, cujus commodis noster hic labor destinatus, evolvendos hic inprimis commendamus B. D. GERHARD. (q) B. D. Jo. MEISNER. (r) B. D. Jo. QVENSTEDIUM, (s) B. D. CALOVIUM, (t) & qui post hos ad ejusdem

III. PROPHETARUM CÆDES. *Quorum miranda.*

G

(p) *Extra quem usum altaria ædificare licuisse tabernaculo etiam & Templo constituto C. à LAPIDE ad Jos. 22, 10 & Jud. 6, 24. & censente quidem B. J. H. URSINO, Ratisbon. Eccl. Antist. quondam Celeb. Quinquag. Fest. C. 16. §. 9. recte, observat.* (q) *T. VI. Locc. Theoll. XXVI. de Minist. Eccl. §. 18. sqq.* (r) *Cujus Tr. Theol. de Prophetiis A. 1670. sec. vice editus, de Novis Prophetiis cognitu necessaria suppeditat.* (s) *Antiq. Bibl. & Eccl. P. I. C. I. num. 1.* (t) *Proleg. ad T. I. Bibl. Illustrat. P. 2dam.*

Multitudo. dem argumenti tractationem succesſu haud infelici, ex Reformatis acceſſit, H. WITSIUM. (a) Nos divinam hic longanimitatem miramur & miſericordiam, quæ corruptiſſimo populo tot veri rectique teſtes dare dignata eſt. Eliæ certe temporibus haud contemnendum Prophetarum inter Iſraëlitas numerum fuiſſe, tum numerus quo ipſe hic loquitur, pluralis, tum alia evincunt. Nam ut centum illos ad cenſum non vocemus, quos Obadias, magna ſane parrheſia, tyrannidi Reginæ ſubductos ſecretò aluit 1. *Reg.* 18, 4. frequentia illa tot locis hominibusque collegia eorum qui בני נביאים *filij Prophetarum* dicuntur; aſſenſum vel invitis extorquent, ſuos ipſis Doctores & moderatores nequaquam defuiſſe; (x) quin ex ipſis quoque non paucos inſignibus à DEO donis fuiſſe inſtructos, quos nimirum ipſo נביאים titulo Spiritus S. mactavit, 1. *Reg.* 20, 35. *coll. verſ.* 38. & 41.

Fata. §. XVII. Sed his quidem pugnandum ſemper fuit cum pſeudo-Prophetis & Sacerdotibus quos Jeroboamus ex *extremitatibus populi* 1. *Reg.* 12, 31. fecerat; Levitis & Sacerdotibus tanquam non ſatis fidis aut idololatriæ contradicentibus, ex omnibus poſſeſſionibus eorum expulſis; quæ deinceps τοῖς כמרים novis ſacrificulis dubio procul ceſſerunt, 2. *Par.* 11, 13. 14. & 13, 9. 1. *Reg.* 13, 33. 34. His, ſub Achabo dein acceſſere peſſimi Baalis ſervi, quibus cum frequens in aula pateret aditus, adque menſam forte regiam ipſi etiam ſæpe vocarentur, animum Reginæ captabant, eamque ſuperſtitione jam ante enutritam & probe imbutam, calumniis & accuſationibus crebris contra Eliam & aſſeclas virulenter fabrefactis, ſingulari zelo ſine ſcientia magis magisque inflammabant inſtigabantque: graviter tandem, poteſtate ſua uſa, in eos animadverteret, qui in Baaliticam religionem conſentire detrectarent. Schiſmaticos enim eſſe, pacis & tranquillitatis publicæ turbatores, imo rebelles, qui Regi & Reginæ tanquam Magiſtratui ſuo legitimo, morem & obedientiam gerere nollent. Quidni enim, ajebant, poteſtatem ſummus impe-

(u) *Miſcell. Sacr. L. 1. toto.* (x) *vid. Jac. ALTING. Diſſ. Academ. Hept. alt. in Hiſtor. Promot. Acad. apud Hebr. p.* 312.

imperans haberet, constituendæ & promulgandæ in Regno suo, pro lubitu religionis? quidni adigere subditos ad assentiendum possit? & si qui sint, qui reluctari audeant, ut hæreticos, urendo, secando è medio tollere? Quibus argumentis lanienam, votis suis tantopere expetitam tandem obtinuere effeceruntque, DEO permittente, ut persecutione in Prophetas quos noverat, aliosque confessores intrepidos 2. *Reg.* 9, 7. motâ, sanguine se satiaret, prophetici sanguinis sitientissima mulier. Hæc persecutio 1. *Reg.* 15, 4. per כרת (z) *excindere* generatim descripta, nunc speciatim à circumstantia modi & instrumenti describitur; nam occisi dicuntur Prophetæ sanguisque eorum effusus refertur 2. *Reg.* 9, 7. & quidem בחרב ἐν ῥομφαίᾳ juxta Græcos, *gladio.* Quod supplicij genus (a) utut levius & minus quoque infame habitum semper fuerit, (b) ab immanissima tamen crudelitate id nequaquam absolvit eos, qui vel imperio, vel ministerio, vel consensu ad id nunc concurrebant. Nam in quos quæso capitalis sententia lata? in pacis ne & quietis publicæ turbatores, in blasphemos vel alterius cujusdam atrocioris criminis reos, quos nec divinæ nec humanæ leges impunes esse permittebant? in Prophetas lata, in immediatos DEI ad populum legatos, de quibus judicandi potestatem, regi inprimis decem tribuum Israëliticarum, ademtam fuisse, non sine

Inprimis ultima.

(z) *Quod de conatu Isabelis occidendi Prophetas Vatablus accipit, non satis forte ad locum nostrum attendens. Pagninus per exterminare, quod mitius quid sonat, quam res & circumstantiæ postulant. SCHMID. in l. c.* (a) הריגה *decollatio Ebræis dictum, &* סקולה *à lapidatione,* שריפה *combustione* חנק *suffocatione, (quæ quatuor supplicia capitalia apud Judæos olim ordinarie in usu erant) distinctum. vid. GODWIN. Mos. & Aar. L. V. C. 7. B. PFEIFFER. Antiq. Hebr. Sel. C. 2.* (b) *Hinc & ex Christianis præcipue Romani cives hoc modo sublati V. Epist. Lugdunenss. ac Viennenss. apud EUSEB. H. E. L. V. C. 1. Unde & Neronem, supplicia Petri ac Pauli Apostolorum, ita distinxisse putat M. VELSER. in Comment. ad Passion. S. Afræ; ut illum, ceu viliorem cruci affigeret, hunc autem tanquam civem Romanum gladio percuteret. Et Bassianum quoque Cæsarem valde illos increpuisse, qui Papinianum securi potius quam gladio decollassent, testis in ejus vita c. 4. SPARTIAN. est. Reliquos horrendos & exquisitissimos, Martyres cruciandi modos, qui vel Busiridi nunquam in mentem venissent, ordine alphabetico exhibet B. DORSCHÆUS præfixa Satura Admirand. Mort. Chr. & de Martyrum Cruciatibus in Primit. Eccles. libro egregio B. D. SAGITTAR.*

fundamento GROT. (c) arbitratur; imò quos ipse moratiorum Gentium consensus in ipso etiam bello ab omni læsione immunes pronunciavit teste eodem. (d) Hos nullo de crimine convictos, quorum decollandos reos aliàs esse oportebat, (e) sine processu ordinario, qualem cum Nabotho observatum ex 1. *Reg.* 21, 9. 10. patet, trucidari jussit Regina tyrannica. Interim ex ipsa illa clade unum forte alterumve superfuisse, Regi haud ignotum, ex 1. *Reg.* 22. colligere licet; ubi Josaphatus Judæ Rex ℣. 7. ex Achabo quærit: *annon aliquis*, (quorum multos apud vos fuisse scio) *Propheta Jehovæ superest*, hoc adhuc tempore? responso isto accepto: *adest adhuc vir unus ad interrogandum JEHOVAM à cum eo: verum ego odi eum, quia non prophetat de me bonum, sed malum; Michaiehu nimirum filius Jimlah.* Qui mox etiam accersitus, quod impietati Regis non blandiretur, infensum sibi ejus animum verberibus & carcere expertus est.

IV. *DEFECTIO TOTALIS.*

§. XIIX. Denique cuncta hactenus enumerata peccata, fasce quasi uno comprehensurus, & ἀκμὴν omnis impietatis, in universali omnium defectione (quam accidisse ipse certe putabat) sitam, indicaturus Propheta: וָאִוָּתֵר אֲנִי לְבַדִּי, *& relictus sum*, inquit, *ego solus*. Particula exclusiva לְבַד & sine prostheſi בְּרַד & בַּד solus, solùm, Germ. Allein, à בָּרַד solitarius fuit, solitarium egit, cum affixo nominis naturam induit, & solum, unum, unicum significat ut h. l. & alibi sæpe, vid. *Gen.* 44, 20. *c.* 42, 38. *Jos.* 11, 13. 2. *Sam.* 13, 32. 33. *c.* 17, 2. *c.* 20, 21. 1. *Reg.* 14, 13. *c.* 18, 22. *c.* 22, 33. 2. *Reg.* 10, 23. 2. *Par.* 18, 30. *Esth.* 3, 6. *Job.* 1, 15. &c. Græci, superlativum μονώτατος hìc, & octies alibi (f) habent; profanis quoque haud plane inusitatum; ita namque in *Pluto*: ARISTOPHAN. μονώτατος γὰρ εἰ σὺ πάντων αἴτιος, καὶ τῶν κακῶν καὶ τῶν ἀγαθῶν. (g) Sensus itaque est: nunc ego resto solus, ich

(c) *de J. B. & P. L. I. C. III §. 20. n. 3. conf. quæ ex Tr. Sanhedr. ad h. l adducit Jo. TESMAR. in Grot Comment. add. P. CUNÆUS de Rep. Hebr. 1, 12. LIGHTFOOT. Hor. in Luc. 13.* (d) *de J. B. & P. III, 11, 10. & observ in 1. Sam. 10, 5.* (e) *Quæ recenset GOODW. l. c. §. 15.* (f) *Jud. 3, 20. 2 Sam. 17, 2. 1. Reg. 18, 22. 1. Reg. 19. 14. C. 22, 31. 2. Reg. 10, 23. C. 17, 18. 2. Par. 18, 30. In Apocryph. quoque semel 1. Macc. 10, 70. occurrit.* (g) *Pluribus de hac particula vid. NOLDIUS Concord. & D. FESSEL.*

ich bin der einige / der übergeblieben. Ex Prophetis ne? an ex omnibus veris & sinceris DEI cultoribus? De iis qui in officio Prophetico constituti fuerant, Eliam loqui videri potest, si ejusdem 1. *Reg.* 18, 22. verba conferantur, ubi diserte: *ego*, inquit, *solus relictus sum Propheta Domini*, omnibus, quotquot non occisi fugâ dilapsis, aut ita saltem latentibus, ut nulli mihi vel solatio esse possint vel auxilio. Nam ut generatim de omnibus omnino veris DEI cultoribus verba ista capiantur, id quidem non satis congruere populi voci videtur, post factum circa sacrificium igne cœlesti consumtum, miraculum, ore pleno clamantis: *JEHOVA hic est Deus, JEHOVA hic est Deus*, 1. *Reg.* 18, 39. imo jam prius, relictis, ad quos oculi animique omnium erant conversi impostoribus, ad Eliam accedentis, istis mirum interea trepidantibus. Et licet detur, metu Reginæ, ad vomitum, ex istis publicis confessoribus quosdam redjisse, de omnibus tamen id asserere videtur durius. De ἀνομίᾳ certe idololatrica convicti omnes erant, & quod verbis modo erant, id, indignatione moti, re ipsa quoque professi nunc sunt, quando Prophetæ Zelotis jussu, zelo ipsi quoque accensi, manus, personatis illis Prophetis Baal turpiter datis admoverunt, eosque prehensos ad fluvium Kischonis, occidendos ibi, deduxerunt; in consensum rapto ipso Rege, cædemque illam non prohibente, vel præ populi metu non prohibere ausо. Et quid de Obadia aulæ dicemus præfecto? hujus certe pietas tam perspecta fuit Eliæ, ut hunc saltem fœderis derelicti accusare, & ex fidelium excludere numero videatur iniquum.

§. XIX. Sed hæc hactenus in medium à nobis allata, non obstant, quo minus de omnibus fidelibus, palam publice DEO adhærentibus honoremque ejus tuentibus, sermonem Prophetæ esse existimemus. Fundamentum asserto nostro sat solidum præbet, illa quæ divinitus Prophetæ contigit, responsio, qua utique opus nequaquam fuisset, si de tot millibus relictis ipsi constitisset. Et interpres omni exceptione major D. Apostolus claritsime indicat, eorum qui genua

in erudito Adverss. S. opere, ubi L. IV. Capp. V. prioribus, varios ejus in Sacris significatus eruit, ac usum genuinum ostendit.

nua ſua Baali non flexerunt, ex Prophetæ noſtri opinione vel nullos fuiſſe, vel tam paucos, ut aliquem excipiendorum numerum vix faciant. Illi ergo in Prophetica intelligendi ſunt accuſatione, de quibus data ipſi à DEO reſponſio loquitur; quique λεῖμμα κατ' ἐκλογὴν χάριτος Apoſtolo dicuntur. Quod ſi ergo maxime concedatur, multos miraculo motos ad mentem rediiſſe pietatemque meliorem, iidem tamen, genua Baali non flexiſſe dici non poſſunt. Et ſi illud etiam urgeas multos genua nunquam flexiſſe, (quod divino edocti oraculo novimus) & ab omni idololatria perſtitiſſe immunes, illud tamen ſemper remanet, quod volumus, firmumque ſtat, hos ipſos publice notos non fuiſſe, ſed ſic latuiſſe, ut ne oculatiſſimo quidem Prophetæ eſſent noti. Quantus vero qualisque latentium illorum numerus fuerit, id utriusque Teſtamenti verbis explicatur clariſſime. An vero numerus finitus pro indefinito ſit poſitus? de eo quidem nondum ſatis inter interpretes convenit. Sunt qui certum numerum poni exiſtimant pro haud exiguo, longe ſaltem majore quam Eliæ ferebat opinio, (h) ſtylo S.S. haud inſueto, 1. *Sam.* 2, 5. *Prov.* 24, 16. ad quæ loca C. *Sanctius* provocat ad 1. *Reg.* 19, 18. Alij cum B. BRENT. & VATABLO, de 7000. præciſe verba DEI accipiunt. Omnes in eo conveniunt numerum poni finitum, ut divinæ providentiæ vis cognoſcatur, quæ tam in numerato omnia, & in his electos inprimis, habeat, quam habentur ſeptem millia, quum numerantur. Prioribus illis, durum & vix poſſibile, videtur in X. tribubus, in quibus, juxta 1. *Par.* 21, 5. *millena millia & centum millia Virorum extrahentium gladium*, fuerunt, haud plures fuiſſe quam ſeptem millia, qui uni Baali ſupplices facti (i) non fuerunt. Sed quidni ad iſtam redigi potuerit paucitatem numerus piorum?

§. XX.

(h) *Allegat hos* POLUS *Syn. Crit. ad Rom. XI. quibus adde* B. MYLIUM *annot. in Rom. XI. fol. 359. &* B. D. S. SCHMIDIUM *Coll. Bibl. Pr. Loc. XVI. §. 10. & Diſſ. de Eccleſia Viſibili & Inviſ. A. S. Sup. 54. hîc habita, §. 31. quamvis idem fateatur, poſſe etiam ſeptem millia præciſe intelligi. Interim ſi ſexui, ἀνδράσιν appellatione ab Apoſtolo notato, cum* ESTIO, *ſi ille quis velit inhærere, & à viris diſtinguere mulieres & parvulos, longe utique major erit præſervatorum numerus. Sed per ἀνδράς alij cum* PISCAT. *homines intelligere malunt.* (i) *vid.* POLUS *ad* 1. *Reg.* 19, 18.

§. XX. Sufficit in istac universali fere corruptione DEO suum λεῖμμα ex *Rom.* 11, 5. & καλάλειμμα *Rom.* 9, 27. fuisse, &, quum nullus electus in mundo apparebat, & velut extincta Ecclesia oculatissimo Prophetæ videbatur, nullamque sibi Ecclesiæ residuæ spem ex indiciis externis facere is poterat, septem tamen millia piorum superfuisse, qui mundo licet incogniti, DEO tamen fuere noti 2. *Tim.* 2, 19. Ipsos hos reliquos à sinceritate & in religione puritate Spiritus S. describit, notabili usus περιφράσει, (k) ab externo desumta cultu, quo Baalem suum coluerunt idololatræ reliqui, genuflexione nimirum tanquam subjectionis, & osculo ceu amoris signo. Quem cultum, cum præstitum à reliquis istis idolo negat, internum quoque simul removet, cultumq; soli DEO exhibitum innuit; quippe cui fini à DEO destinatos ipsos fuisse Apostolus indicat verbis καλέλιπον (l) ἐμαυτῷ *reliqui* MIHI IPSI i. e. ad meum cultum gloriamque per eos meam asserendam. Quod si quæras: quare isti publice omnibus noti non fuerint? responderi potest, vel quia per ætatem eò usque non pervenerint; vel quia ad cultus Baaliticos probandos requisiti nondum fuerint; vel aliis de caussis in absconditо hactenus latuerint. (m)

SECTIO V.

Ipsum Zeli Prophetici Actum inspiciens.

§. I. Visis, circa quæ Eliæ Zelus occupatus fuit, objectis, personali & reali, ipse nunc zelandi actus nobis considerandus venit; paucis imo unico, sed amplissimi sensus, verbo notatus: קַנֵּא קִנֵּאתִי *zelando zelavi.* Radicem קנא in Piel usitatam, ex eorum verborum numero esse, quæ μέσα Græci vocant, dudum à Philologis est observatum; quos inter BUXTORF. (n) ex *Aben Esra* has distinctionis notas tradit, *Zeli nomen & definitio general.*

(k) *Qua monemur cultus notam, in sacris ex geniculationis gestu peti, eosque qui genua flectunt & oscula præbent rebus corporalibus, queis divinitas nulla inest, ipso DEI judicio, impietatis alicujus fieri reos. vid MYLIUS Ep. ad Rom. Explic. f.* 360. (l) *Quod præteritum Apostoli ratione significationis, quomodo cum futuro hebræo* וְהִשְׁאַרְתִּי, 1. *Reg.* 19, 18. *conciliari debeat b.* SCHMID. *docet, Coll. Bibl. Pr. Loc. XVI.* §. 2. *segq.* (m) *Ita b. MYLIUS l. c.* (n) *Lex. Hebr. hac rad.*

dit, quod cum præpositione ל constructa (ut nostro h.l.) in bonum, cum ב vero in malum sumatur, & vel: *rem sibi charam indignis modis tractari doluit, eamque defendere ac vindicare conatus est, tueri studuit;* vel: *re, quam quis concupierit, alium potiri seque carere doluit, invidit, odit.* (o) Quæ eadem ambiguitas, nomini hinc derivato קִנְאָה quoque accidit, nec non, quod eidem respondet, græco, ζῆλος latina hodie civitate donato. (p) Nobis non aliter impræsentiarum de zelo agendum, quam quatenus circa religionem & res divinas versatur; & sub isto generali conceptu venire potest ut dicatur: affectus quo voluntas hominis, ad ea quæ ad cultum Numinis facere videntur, conservanda, defendenda ac propaganda: huic vero contraria visa metuenda, aversanda ac propulsanda, etiam cum vitæ bonorumque jactura vehementer excitatur; is vero cui animi ista commotio accidit Zelota (q) audiat, qui indignitate facinoris vel rei alicujus in DEI opprobrium vel directe vel indirecte cedentis commotus, ad vindictam idcirco sumendam semet excitari patitur. Quamvis vero Zelotæ esse possint, & debeant sensu isto generali, quibuscunque aliqua curæ cordique religio est, & cujusvis conditionis Christiani *Luc.* 10, 27. *Matth.* 6, 37. 1. *Cor.* 14, 12. *Luc.* 13, 24. usu tamen fere receptum, ut publicis Ecclesiæ Doctoribus proprius quasi habeatur iste affectus; Zelus hinc Theologicus vulgo dictus; & ab Ecclesiæ Laodicensis Præsule cumprimis requisitus. *Apoc.* 3, 15.

Divisio. §. II. Sed cum sæpe accidat, ut ira carnalis sub divini & spiritualis zeli larva incautos decipiat, probe tenenda est distinctio, quam Theologia Moralis suppeditat, inter ζῆλον ἄζηλον zelum naturalem & carnalem; & eum qui est pius, sanctus,

(o) *Ed. LEIGH. Crit. S. V. T. hac rad.* (p) *Ea cum conditione, Cel. CELLARII judicio, ut insolentis græcismi loco habeatur, Antibarb. C. VI. p. m. 266. Quamvis Th. CREEN. Vitruvii aliquo loco adducto authoritatem eidem majorem conciliare nitatur, Animad. Philol. & Hist. P. XVI. p. 342.* (q) *Quo nomine quomodo pessimi quique inter Judæos, ad interitum politia ipsorum vergente, abusi sint JOSEPH. de B. J. L. IV. C. V. VII. IX. XI. docet. Quibus haud absimiles quorum à J. A. THUANO Lib. XC. Histor. ad A. 1588. Part. IV Ed. Francof. p. 411. facta mentio est; quod Zelotarum usurpantes nomen, regiarum partium & pacis Studiosis, quos Politicos contemtim vocabant, se opposuerint.*

sanctus, divinus, bonus & laudabilis, θεῷ ζήλῳ Apostolo dictus, 2. *Cor.* 11, 2. (r) Utriusque facile cognoscitur natura, si subjecti, objecti, finis, modi &, si quæ sunt, aliarum circumstantiarum probe inspiciatur ratio. Nam Subjectum si carnale sit, vix alius quam carnalis ejus erit zelus, saltem non nisi impetus alicujus naturalis nomine venire poterit, si amor sincerus DEI & hominum aliorum, quorum salus nos solicitos tenere debebat, desit; & scientiâ quoque cognitioneque destitutus ex ignorantia, re non satis cognita & explorata erumpat. (s) Neque ut bonus sit zelus qualiscunque intentionis bonæ prætextus sufficit; nam si vel agendi modus, vel temporis, vel loci circumstantia à recto deflectant tramite, jam οὐ καλῶς *Gal.* 4, 17. egisse agens jure dicetur & imprudentis zeli agi poterit reus; (t) vel sanctæ simplicitatis. Longe alia ratio est *zeli boni & laudabilis*, qui ex verbi divini scientia enatus, regula ista unice gubernatur, & SpiritumS. (u) ducem per omnia sequitur; nullum aliud agnoscens principium, quam DEI hominumq; sincerum amorem & eas ubiq; prudentiæ leges omnes servans, quas Theologi prudentes ad S.S.ductum inculcant. (x) Quem hinc modo sequenti describere possis ut dicatur *Virtus* (z) *à Spiritu S. in homine DEI*

H excci-

(r) *D. D. BUDD. Theol. Mor. P. III. C. II. §. 32.* (s) *Multis exemplis hæc illustrari ex S. S. possent, sed loca allegasse sufficiat. Num. XI, 27. Jon. 4, 1. Luc. 9, 54. Rom. 10, 2. Phil. 3, 6. conf. MYLIUS loco sæpe cit. p. 342. B. & Diss. de Fervore, tepore & frigore Theol. sub præsidio S.R. Dn. D. WERNSDORFF. habita, §. XI.* (t) *Exempla Zeli imprudentis passim & olim & hodie obvia, vid. EUSEB. Hist. Eccl. L. XIIX. C. V. THEODORET. Hist. Eccl. L. V. C. 38. Recentius Wilh. Gardinerij Angli factum ineptissimum quo A. 1552. Cardinali missam coram Rege ac proceribus magnaque populi frequentia Lisbonæ celebranti, altera manu hostiam eripuit, ac pedibus conculcavit, altera calicem effudit, ex Foxij Comm. Rer. Eccl. & Martyrol. Germ. Cel. BECHMANN. Med. Polit. Diss. XV. p. 253. narrat, sed justo benignius de eo judicat.* (u) *Auctorem pulcherrimæ hujus virtutis; mandando Es. 58, 1. 2. Tim. 4, 2. miniz. Ex. 3, 5. 13, 18. 21. 33, 8. increpando Es 56, 10. 11. proemiis afficiendo Ps. 106, 31. ad eam in homine producendam, agentem.* (x) *B. BRENT. in Acta Comm. p. 394. in verba illa: παρωξύνετο τὸ πνεῦμα αὐτοῦ ἐν αὐτῷ. B. HULSEMANN. de Corrept. Frat. p. 78 214. seqq. D. D. BUDDEUS Instit. Th. Moral. l. c. &, cujus apud nos in benedictione memoria est, desideratissimus mihi BARTHIUS meus, Dissert. Theol. de Excessibus in Pietatis studio.* (z) *Secundo Decalogi præcepto comprehensa, juxta b. GERHARD. in LL. T. III. p. 50.*

excitata, qua is ex vera in Deum fide & ardenti illius dilectione, acriter ac intrepide veritatem cœlestem, exacte sibi cognitam, confitetur & asserit; sanctimoniam in vita moribusque urget; quæque his adversa sunt, magno studio impedit, ulciscitur, ac impugnat, ad gloriam DEI, & Ecclesiæ salutem. (a) Non autem eodem is semper se modo habet, sed pro subjectorum & agendi modi varietate ipse quoque variat, ut alius dicatur *ordinarius & communis*, alius *extraordinarius & heroicus*. Insignior scil. illa hominis renati ex peculiari Spiritus S. gratia collata perfectio, qua talia in DEI gloriam & Ecclesiæ ædificationem ab ipso geruntur, quæ saltem sui temporis genium & mores transcendunt quaque imperterritus ipse ea aggreditur & successu optato perficit, quæ nullis alias humanis viribus vel consiliis præstari possent. Hæc, subjecta sua in eminentiori collocat loco, ut viri magni *heroësque* salutentur, Wunderleuthe Megalandro LUTHERO (b) dicti. Hac, in honorem suum singularem sanctificata vasa DEUS olim ornavit eo fine ut per ipsa rerum Ecclesiæ collapsarum vel reformationem perficeret, vel notabili quadam & extraordinaria invitatione homines in peius semper ruentes ad pœnitentiam vocaret. Quorsum ministerium heroicum plerorumque inter Judæos Prophetarum tendebat.

Zelus Heroicus quomodo noscendus.

§. III. Quibus vero criteriis Zelus ille extraordinarius quem heroicum dicimus à cõmuni discerni possit? si quæras, à tempore partim, partim ab operandi modo repeti illa possunt. Nam experientia magistra constat, tum maxime heroës prodire & à DEO excitari, cum corruptelæ publicæ vel grassantur; vel ita erumpunt, ut qui de lege communi sunt fideles, in pia, quæ vocant, desideria diffluant quidem, nemo tamen eorum sit, qui emendationem suscipere & eo quo res postulat ardore eamdem urgere possit. Omnes agnoscunt, nemo malo medetur. Nec minus operandi quoque modus, heroicum zelum singularitate sua prodit. Nam citra verbum externum per instin-

p. 50. a. & C. VINCK. Diss. IV. ad Decal. CHYTRÆUS vero Regul. vit. p. m. 192 inter VI. præc. virtutes refert. (a) *Ita definitio Diss. Witteb. lit. s. alleg. habet, alias dabit D. RUNG. Disp. XII. in Ep. ad Rom. B. D. BAYER. Comp. Theol. Mor. P. III. C. IV. p. 194. B. D. FECHT. Appar. quem Epist. Marbach, à se editis præmisit, C. VIII. p. 278.* (b) *T. I. Jen. Germ. fol. 139.*

ſtinctum Spiritus S. irrefragabilem ad modum ſpecialis cujuſdam mandati ſe habentem, olim concipiebatur, conceptusque admirabili ſucceſſu coronabatur. Miracula fuerunt, vel miraculis ſaltem proxima, quibus heroes inclaruere. Qui modum ſibi præſcribi nequaquam patiebantur ab iis, qui ultra ſortem non ſapiunt communem. Illorum vox & privilegium erat, cujus D. Apoſtolus 2. *Corinth.* 5, 13. 14. meminit. Habebant quippe gloriam divinam ita unice pro fine, ut cum carne & ſanguine, aut cum Seculo & ejus genio ac ſtatu nec deliberarent nec colluderent. Unde & talem ſæpe agendi modum mediaque talia amplectebantur, quæ non poſſunt non diſplicere iis, quibus Seculi ſenſus adhuc illudit, aut qui cum carne & ſanguine conſilia ineunt; quorumque adeo alij, ſuo ſe modulo pedeque metientes, nec ſimij eſſe debent nec judices. (c)

§. IV. Et talem, qualem hactenus expreſſimus, Eliæ Zelotæ fuiſſe Zelum omnia ejus geſta inter ſe juncta comprobant. Generatim ita de eo ipſe divinus heros pronuntiat: קנא קנאתי *zelando zelavi*, i.e. (juxta Canonem Philologicum: *Verbum finitum quodvis regit ſuum infinitivum, ad majorem certitudinem & evidentiam* (addo & vehementiam) *exprimendam*, (d)) Zelo plane affectus ſum; impenſiſſimo amoris affectu & DEUM proſecutus & populum. Quod animi πάθος in phraſi hac obſervat SURENHUS. l. c. p. 489. Ipſe vero

Eliæ Zelus talis fuit. cujus not.

(c) *Quod non ſatis obſervarunt Luthero-maſtiges illi, qui zelum Lutheri vel heroicum vel certe heroico analogum paſſim ſuggillarunt, & parrheſiam inprimis ſtylique libertatem, qua uſus, impudentis audaciæ, reverentiæ, rerum Dominis inprimis debitæ, modeſtiæ, & humanitatis limites ſupergreſſæ aliisque ſcommatibus paſſim notarunt. Sed apologiam pro ſtylo ſuo ipſe ſcripſit T. I. Altenb. f. 614. ſeq. T. V. f. 541. & T. I. Witt. Lat. f. 311. ſcripſeruntque alij vid. MELANCHT. vita Lutheri 1557. Witt. Ed. Ipſe Sax. Elector quid de Lutheri ſtylo ſenſerit, Illuſtr. SECKENDORFF. refert, Hiſt. Luther. L. III. S. III. §. 122. p. 556. B. & L. I. S. LII. §. 127. p. 211. addit. 2. Varillaſij, de Poteſt. Sec. Libello judicium examinat. conf. omnino quæ hanc in rem habet Dn. D. BUDDEUS Diſſ. Pol. de Conc. Relig. Chriſt. Statuſque Civ. C. V. §. 8. & Auctor Diſſ. Hiſtor. Apol. pro Luthero ex acrimonia ſtyli reprehenſo, ſub D. D. DANZII præſidio Jen. 1704. hab.* (d) *Quem habet & exemplis utriusque Teſt. illuſtrat. B. GLASS. Phil. S. L. III. Can. 37. add. BUXTORFII, Theſ. Gramm. L. II. C. XVI. Reg. 2. p. 498.*

Actus I. zeli modus variis constat actibus, singulatim a nobis nunc considerandis. Initium factum denunciatione gravissimæ pœnæ, terræ siccitatis sterilitatisque & hinc famis, ne Rex, quod solenne est impiis, ad causas secundas vel ad casum istas calamitates referret, sed justas DEI, peccata punientis animadversiones esse intelligeret. Ita enim verba Eliæ zeli plena 1. *Reg.* 17, 1. leguntur: *Per vivum JEHOVAM, DEUM Jisraëlis, coram quo sto; si fuerit annis his ros aut pluvia, nisi juxta os verbi mei.* Affectum, & zeli quidem in verbis his omnes agnoscunt, (e) sed de ejus justitia non idem omnium judicium. Pertinacem fuisse Eliæ animum & à misericordiâ alienum D. CHRYSOST. contendit, (f) aliàs quoque æquo durior in Eliam, judice b. SCHMID. (g) qui pium & justum imò & mitem fuisse zelum inde probat, quod per pœnam castigationis intenderit pœnitentiam impiorum. Et quis modum zeli excessisse Eliam dicat? cum fatendum omnino sit, sine prævio mandato divino Spiritusque S. instinctu, nihil ab ipso fuisse susceptum; nisi imprudentem & temerarium Zelum Prophetæ Θεοπνεύστῳ, non sine temeritate tribuere velis.

II. §. V. *Secundus* Zeli actus is fuit, quo, post victam Præfecti aulæ Regiæ, illius in alterâ Sodoma alterius Lothi, tergiversationem,; illud multorum scelerum mancipium Regem ipsum adiit, eumque, justa usus retorsione, conturbati Jisraëlis eversæq; honestæ disciplinæ arguit & convicit, atque, heroico instructus animo, crimen à Rege sibi impactum, in ipsummet & culpam omnem retorsit 1. *Reg.* 18, 18. Animo namq; fiducia pleno excelsique Spiritus, non purpuram neque Regium diadema, non aureas vestes, non principatus fastum aspiciebat, sed sublatis oculis ad verum Regem cœlorum, atque illud tribunal easque pœnas considerans & his cogitationibus se muniens, impetum in tyrannum fecit. (h) Hæc nimirum illa fiducia & magnanimitas est, qua Spiritus S. ministros suos & heroas inprimis instruit, ut ingenue & aperta fronte loquan-

(e) *B. SCHMID. Annot. in h. l.* (f) *T. I. Opp. Ed. Lat. p.* 648. (g) *Ann. in* 1. *Reg.* 19, 10. (h) *CHRYSOST. Homil. IV. de Verb. Es. T.* 1. *Opp. Ed. Lat. p.* 846. *seqq.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862154596/phys_0068
DFG

quantur, si cum summis etiam ipsis res sit; utque deposito omni formidinis affectu, omnibusque periculis neglectis, aperto marte, professos DEI hostes aggrediantur, nullo ea in re personarum habito respectu, sive potens sit qui peccat, sive impotens, sive magistratus, sive privatus. (i) Alia enim ipsis longe mens, quàm (dicente eodem verè biblico Theologo b. BRENTIO) hujus seculi hominibus, qui istam vocem temerariam, seditiosam, convitiatoriam, virulentam & ad læsæ majestatis crimen spectantem, iudicassent. Iniquissime enim ferunt si scapha scapha, ficus ficus, quemadmodum est in proverbio, vocetur. Et cum suas judiciarias sententias in publicos fures atque latrones, quos etiam his vocabulis sic nominant, justas & legitimas haberi volunt, non tanti judicij sunt, ut cognoscere queant, voces illas quas ipsi vocant, virulentas & convitiatorias vere in impios ac sontes à ministro ecclesiastico ex officio prolatas, non esse contumeliam sed justam reprehensionem, non convicium sed admonitionem, ut impij meliori cognomine sua resipiscentiâ sese dignos reddant.

§. VI. Ne vero temere aliquid dixisse videri posset, III.
non se sed Achabum Jisraëlis turbatorem esse, *publice* manifestum facere decrevit; disputationem solennem & plane miraculosam adversus Baalitas in monte Carmelo institui petens, hac conditione, ut duo boves mactentur in sacrificium, à Baalitis alter, alter ab Elia: & cujus partis DEUS ad preces suorum, igne cœlitus misso absumturus esset victimam, is verus DEUS esse pronunciaretur, altero tanquam commentitio repudiato, 1. *Reg.* 18, 33. *seq.* Multa in hoc Zeli actu, à quo quæstionis palmariæ ipsum inter & Baalitas, controversæ decisio pendebat, singularia & notatu dignissima. Locus, per divinam dispensationem (k) fuit mons Carmel. De conditione hanc quæst. moveri deprehendo: (l) quomodo Elias istam probationem veri DEI per miraculum à populo & prophetis Baalis petere potuerit? & annon populus contra miraculum excipere potuerit, quemadmodum hodie certe

(i) *BRENT. in Act. p.* 52. 462. 499. 528. & 52. (k) *juxta LUND. Jüd. Heiligth. p.* 558. §. 29. (l) *à b. D. SCHMIDIO in* 1. *Reg.* 18, 24.

excipi poteſt? ſed in promtu reſponſio. (m) Miraculum iſtud fuit quidem inſigne : ſed in Veteri Teſt. non inſolens. Imo nimis notum, quæ *Sanctij* in h. l. verba ſunt, ut nemo de toto populo ignorare potuerit. Sic in templi initiatione DEUS reſpondit igne 1. *Reg.* 8. & aliàs. (2) Miraculum iſtud, petitum eſt faciendum per eos qui ſe Prophetas mentiebantur h. e. miraculorum patratores. Et quidem (3) qui novam religionem introduxerunt. De eo quoque hîc agi poſſet: quid de facto Eliæ, quo ipſe Baalitico ſacrificio coram adfuit ſit habendum? ſed breviſſime reſp. pro ſe illud nequaquam allegare poſſe hypocritas illos neutrales & larvatos Nicodemitas, qui deſtinato ſe conſilio ad omnes religiones accomodant, & ſacris alienis intereſſe ſolent, externis geſtibus cultum eundem ſimulantes; iſto impietatis pallio uſi : ſe externum tantum cultum præſtare, corde interim uni vero DEO adhærere; intus ſe occultam fidem & meliorem ſententiam fovere. Nihil, inquam, in hoc exemplo inveniunt præſidij, quo palliare iſtam colluſionem ſuam poſſint. Adfuit enim Elias, ſed ut irriſor, inſultando illis dicens: clamate vehementius; adfuit ut gloriæ divinæ vindex. Et longe ſane differunt, ſacris Judæorum, Gentilium &c. intereſſe &, non intereſſe modo ſed & geſtibus eadem imitari. Prius noſtrates concedunt, ſi ſit abſque temeritate, abſque ſcandalo infirmorum, explorationis aut officij cauſa; poſterius negant & pernegant. Quo de pluribus actum à b. D. QVENSTEDIO, (n) HUTTERO (o) C. T. RANGONE, (p) aliisque. Nos ex hiſtoria Eliana jam obſervavimus, ſed hîc repetendum : in rebus ſacris cultus notam ex geniculationis geſtu peti, & ſignum pietatis ſaltem negativum geſtus eſſe. (q)

IV. §. VII. Supereſt ultimus isque omnium illuſtriſſimus Eliani Zeli actus, quo Baalitas teterrimæ idololatriæ convictos mactavit, ſuos vero auditores in vera erga DEUM fide

(m) *l. c. addita.* (n) *Syſt. Theol. P. IV. C. XI. Sect. II. Q. VIII. ubi Naamanis inprimis exemplum, quod hypocriſi ſuæ prætexunt impij illi, ex* 1. *Reg.* 5, 18. 19. *examinat.* (o) *De invocat. qu. V. p.* 978. (p) *Hiſt. Syncr. p.* 194. *ſeq.* (q) *POLUS ad* 1, *Reg.* 19. *p.* 1668.

fide confirmavit. Sed quo id jure fecerit? altioris indaginis res est. Quamvis enim in confesso illud sit, verbo, ceu gladio spirituali Domini bella gerentibus uti fas esse, neutiquam tamen ad manus, atque ad arma carnalia deveniendum esse, communis eaque verissima nostrorum est sententia, asserentium in Novo inprimis Test. Zelum eo usque non progredi, ut errantes in doctrina, si ceteroquin vitam extrinsecus moralem civilemq; agant, capitali afficere liceat supplicio. Quod assertum ex Scriptura, ex rationibus, ex primitivæ Ecclesiæ testimonio, ex ipsis deniq; adversariis contra secus sentientes clarissime probari potest. (r) Enimvero hic omnino recurrendum est ad distinctionem inter Zelum Heroicum & Comunem. Non enim quæ alij per instinctum Spiritus S. irrefragabilem & ab ipso DEO admirabili successu singularique elogio beatum, fecerunt, eadem & aliis licent, nulla hujus instinctus promissione instructis: id quod Cap. hujus tractationis posteriore ulterius à nobis asserendum erit. B. GERHARD. (s) quæstionem tractans: *an Episcopi bella gerere debeant?* cum contra negativam quam ipse recte tuetur, Eliæ quoque hoc exemplum pro affirmativa afferri dixisset, hunc in modum breviter respondet: *hoc factum singulare est & heroicum.* Idem §. 396. de illa agens quæstione? an illud tantum bellum justum sit, quod justa Magistratus authoritate accedente geritur? inter exempla Sanctorum V. T. qui absque Magistratus authoritate gladio fuerunt usi, quæque adeo primo illi justi belli requisito opponi possunt, ipsum hoc nostrum, quod ad manus est, etiam allegat, & primo generatim respondet: non exemplis sed legibus esse judicandum, esse enim in sanctis quosdam extraordinarios & heroicos motus, à peculiari Spiritus S. instinctu & familiari alloquio profectos, qui non faciant legem communem, nec introducant generalem aliquam regulam, multo minus præcepta generalia evertant. Deinde illud quoque speciatim addit: Eliam peculiariter à DEO ad sublime illud munus fuisse vocatum; & Prophetarum vocationem non solum ministerium docendi, sed etiam politica quædam officia, quæ singulari DEI mandato ipsis injun-

(r) GERHARD. LL. T. VI. à p. 385–415. (s) l. c. §. 398.

jungebantur, fuisse complexam. Eliam ergo non ut privatam personam mactasse sceleratos, sed ut personam publicam Prophetico fungentem munere ; & ex speciali DEI mandato partem illam politicæ administrationis attingentem. Quin secutum esse Eliam in interficiendis Prophetis Baal normam mandati divini *Deut.* 13, 1. & Achabi quoque Regis consensum accessisse, ex descriptione illius historiæ haud obscure colligi. Achabum enim convocasse Baalitas & interfectioni eorum coram adstitisse; miraculi magnitudine obstupefactum in Eliæ istum Zelum tacite consensisse, & Jezabeli uxori suæ omnia annunciasse. 1. *Reg.* 19, 1. Quæ eadem & magni SCHMID. nostri ad 1. *Reg.* 18, 40. explicatio est. Nam cum recte omnino interfectos Baalis Prophetas dixisset, ad objectionem quam format : *atqui hæretici non sunt occidendi*, ita mox respondet: *in Veteri Test. aliter se res habuit quoad seductores. 2. extraordinarius & singularis hic Eliæ Zelus fuit.* (t)

SECTIO VI.

Finem Prophetæ Zelotæ propositum exponens.

Finis S. S. universæ primarius.

§. I. Inter alia quæ sacras divini verbi pandectas à quibusvis aliis aliorum auctorum monumentis quam longissime separant, illud quoque haud postremum divinitatis argumentum est, quod singularis pro DEI gloria Zelus utramque ajunt, faciat paginam, adque hanc promovendam omnia tandem collineent. Quod si enim dogmata, quo & præcepta refero, quæ ibi proponuntur, spectes; primarium eorum scopum eum esse deprehendes, ut ex animis hominum ea omnia evellant, quæ nominis divini gloriæ sunt inimica; ea vero quæ evelli ex animis hominum nequeunt, ad DEUM ejusque gloriam dirigant. Sic, quod nemo, nisi hominem exuat, exuere potest, circa felicitatis desiderium, sic à capite ad calcem Scriptura S. versatur, ut homines felicitatis cupidos convincat, felicitatem à DEO imo in DEO solo inveniri, huncque solum, inexplebilem beatitatis sitim restinguere. Nullas non formas DEO, ut ita dicam, induens, ut eum omnis generis hominibus desiderabilem reddat; ut monstret in DEO esse quicquid undique & undi-

(t) *conf. B. DORSCH. Comment. in Luc. 9, 54.*

undique desiderabile est. Idem & prophetiis agitur, quæ, dum natura sua DEI illustrant omniscientiam, in cognoscendis rebus longe post futuris mirabilem, gloriam & majestatem ejus pandunt. Tandem dum historias & res gestas narrat, rursus præcipua semper persona DEUS est, ad quam omnia tendunt, imo unica in iis conspicua. Patriarchæ, Moses, Josua, Israëlitæ, hic ne quidem tantum sunt, quantum in Q. Curtij Historia, Parmenio, Hephæstio, Craterus, milites Macedones &c. quorum fortitudini, consiliis, & fidei magnam gloriæ suæ partem Alexander debuit. Hic omnes præter DEUM nihil sunt: nihil ad eos gloriæ pertinet rerum hic gestarum, DEO omnis. DEO applicare possumus illa *Ciceronis* in oratione pro Marcello ad Cæsarem: *Gloriæ* rerum gestarum quæ hic recensentur DEUS *socium habet neminem, totum hoc, quantumcunque est, quod certe maximum est, totum hoc DEI est: nihil illi ex ista laude centurio, nihil præfectus, nihil cohors, nihil turma decerpit: quin etiam illa ipsa rerum humanarum domina fortuna in istius se societatem gloriæ non offert: DEI esse totam & propriam fatetur. Cæteræ res gestæ*, quæ in aliis libris describuntur, *multo magnoque comitatu gestæ sunt; harum autem rerum DEUS idem est & Dux & Comes, hæ sunt unius propriæ DEI.*

§. II. Idem vero Zelus pro DEI gloria in nostri quoque Prophetæ Zelotis verbis, signis se clarissimis prodit, dum zelando se zelasse profitetur: יְהוָה אֱלֹהֵי צְבָאוֹת *JEHOVÆ DEO Zebaoth* vel pro (u) JEHOVA DEO Zebaoth. Quibus nominibus ut omnem DEI majestatem gloriamque ipse est complexus, ita nobis campum meditandi scribendique aperuit amplissimum. Sed instituti & rerum hic tractandarum sublimitatis memores, cum agnis in mari hoc peditare quam natare cum elephante malumus. Inter varia quæ variis in linguis ob causas varias, ille unus in essentia DEUS ter Optimus ter Maximus sortitus est nomina, interque decem illa, quæ vulgo numerantur hebraica, eruditæ nationis calculo eminet, primasque sibi transscribit, magnum illud nomen JEHOVA, essentiale quippe & proprium

Hic quoque conspicuus.

(u) *Vid. de hoc significatu præfixi* ל GLASS. *Philol. S. L. IV. Grammat. Append. Tract. I. Obs. VI. p. 678.*

I

prium (x) DEI, quo ab omnibus creaturis visibilibus & invisibilibus discernitur; quodque in radice sua spectatum, eum notat, qui suam à se ipso essentiam (y) habet cunctisque extra se existentibus τὸ esse & existere quo gaudent, largitur. השם hinc καθ' ἐξοχήν, שם העצם & שם ההויה Hebræorum magistris dictum; (z) & præcipuis nominis proprij apud Hebræos κειτηείοις instructum, filioque (a) ac Spiritui Sancto (b) in Scripturis tributum, invictum nobis trium in S. S. TRIADE personarum divinitatis & ὁμοουσίας argumentum præbens. Cæterum quam inepta circa hoc nomen divinum, Judæorum sit pietas dicam an superstitio, sub mortis pœna pronuntiationem ejus vetantium, imo & ad præscindendam omnis profanationis occasionem, à scriptione ejus, propriis queis constat literis abstinentium; quam blasphemi item nominis hujus occasione in optimum Salvatorem nostrum iidem sint, id quidem notius, quam ut testimoniis sit opus. (c) Quæ vero inter Christianos Seculo superiore super hoc nomine lites fuerint, aliis (quos *Jehovistas* Drusius per ludibrium dixit) juxta literas & vocales quas habet; aliis (quos *Adonistas* priores illi vocabant) pro JEHOVAH, Adonai legentibus; eas hîc recensere & dijudicare nostri instituti ratio non fert. (d) Quod vero Græci quoque antiquæ Ecclesiæ Doctores, ἀνεκφώνητον, ἄῤῥητον, ἄφραστον, ἄληκτον, ἀφθεγκτον, ἀπόῤῥητον, καὶ ῥηθῆναι μὴ δυνάμενον, nomen hoc passim dicant, id quidē ad mysterij significationisq; quæ in eo latet pro-

Nomen JEHOVAH.

(x) *Ex.* 3, 15. *Es.* 42. 8. *Ps.* 83, 19. *Os.* 12, 6. *Id quod, omni rubore depositu, negare audent Arminiani Apol. pro Conf. Remonstrant. C.* III. *p.* 51. *in operibus Episcopii, p.* 133. *nomen hoc creaturis etiam passim in scripturis tributum, quin plane fictitium esse, impie mentientes, cum Socinianis, quos antecessores hac in blasphemia habuerunt; refutati à b. CALOVIO, Consid. Armin. C.* 2. *S.* 2. *& Socinis. profligat. Sect.* III, *Memb.* II. *subsect.* I. *qu.* 1. *SCHERZERO Coll. Anti-Socin. p.* 34. *seqq. MAIO, Theol. Proph. p.* 63. *S.* 15. *add. LEUSDEN. Phil. Hebr. Diss.* XXVII. *p.* 331. (y) *Et quidem μονοούσιον, παντοούσιον, ὑπερούσιον, ἀπειροούσιον, quibus nominibus b. DANNH. utitur Hodos. Phœn.* III. *p.* 196. *& Lac. Catech. P.* I. *p.* 72. (z) *LEUSDEN. Jon. Ill. p.* 78. (a) *Es.* 40, 3 *Jer.* 23, 6. *Ps.* 47, 6. (b) *Es.* 6, 8. 10. *coll. Act.* 28, 25. *alibi.* (c) *Cel. LEUSDEN. Philol. Hebr. Diss.* XXVIII. §. 17. *&* XXVII. 16. *Jon. Illustr. p.* 89 *add. BUXTORF. Lex. Maj. rad.* הוה. (d) *Factum hoc à laudato modo Philologo Batavo l. c. Diss.* XXIIX. XXIX. XXX. *Ubi ex Fullero etiam varios modos quibus Græci nomen hoc & legerunt & scripserunt, allegat.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862154596/phys_0074
DFG

profunditatem, adque græcæ linguæ genium (e) reſpectu habito, factum ab ipſis potius dixerim, quam ut Judæorum ſe figmento & authoritate decipi paſſos ſtatuam. Illud interim ſupinam hebrææ linguæ ignorantiam prodit, quod de Græcis quibuſdam Scriptoribus E. Hieronymus narrat, ipſos ſcil. nomen tetragrammaton legiſſe & ſcripſiſſe *Pipi*. *Unde quæſo* (ita b. GLASS. (f)) *novi illi pipiones nobis niſi ex Hebraicæ linguæ, quæ ſuperioribus ſeculis deplorandum in modum inoleverat, inſcitia & ruditate? quod enim Hebraice per* יהוה *ſcriptum erat, illi in literas Græcas, Hebraicis non admodum diſſimiles convertebant,* ה *putabant ob convenientiam eſſe Græcum* π. ו & י *putabant eſſe Græcum* Ιῶτα, *unde tandem ineptum illud & riſu excipiendum Pipi excluſum eſt.* Interpretes LXX. ἀνλοκράλοειαν DEI reſpicientes, juxta quam ille abſolute & proprie Dominus eſt, Κύειος κυειεύονλων, ϗ μόνος σωάςης & πανλοκράτως: (g) illud majeſtatis plenum nomen per κύειον, tantum non ubique (h) reddiderunt; retinentibus verſionem iſtam, prægnanti ſuo conſilio, ſacris N. T. Scriptoribus. (i) Secuti quoq; eamdem dein ſunt Interpretes Occidentales ſuo quisque idiomate, & in his etiam b. Lutherus noſter, per vocabulum HERR majuſculis literis conſtanter illud exprimit. (k)

§. III. De nomine divino אלהים, quod proximum à priore locum in textu ſacro occupat, aliter ſentiunt, qui ad principiorum grammaticorum normam illud tantum examinant; aliter qui πνευμαλικὰ πνευμαλικῶς διακείνονλες nomini divino aliquid, quod ab aliis, etiam quoad formam externam, ipſum diſtinguat, concedunt. Priores illi non proprium ſed appellativum faciunt, ob affixa quæ recipit, ob pluralem quem habet, ob regiminis ſtatum in quo poſitum quandoque deprehenditur, denique ob communicationem *Nomen ELOHIM.*

(e) *Literis jod & vau conſonis Græci earent, & literæ* ה *aſpirationem qualis hîc, etiam reſpuunt.* (f) *Philol. S. p.* 365. (g) *Quæ nomina divina ex* 1. *Tim.* 6, 15. *pecul. Diſſ explicavit B. DORSCH. App. Theol. Zach.* (h) *Gen.* 15, 6. Θεὸν *dixere qui in Ebræo Jehovah.* (i) *Quo ipſo an iis qui pro Jehovah, Adonai legunt, patrocinentur? LEUSDEN. diſquirit l. c. Diſſ. XXX. p.* 357. (k) *Quantumvis Forſterus optet, nomen hoc DEI eſſentiale in linguas alias non translatum eſſe, ſed ut voces Immanuel, Zebaoth, Alleluja, retentum, apud KROMAIER. Polym. p.* 195.

cum rebus aliis extra DEUM. Iidem & pluralitatem nomine hoc denotari negant, inferentes: Si Eloha DEUM denotet, pluralem plures denotare DEOS, cum à singulari non significatione sed pluralitate differat; & illum Grammaticorum allegantes canonem, cujus à BUXTORFF. (l) ex Hebræorum interpretibus facta mentio est: *Nomina dominij* אדון, אלהים, בעל, *ex linguæ usu & proprietate, efferuntur numero plurali, ad summam dignitatem & honorem excellentissimum personæ indicandum.* Quid quod eo usque quidam progrediantur, ut statuant, Hebræos suum à Cananæis idioma didicisse, & ad horum morem πληθωλικῶς de DEO loqui cepisse. (m) Quamvis vero dicere nolim, eos qui hanc philologiam de nomine אלהים inter Christianos profitentur, (n) id agere, ut vel Judæis vel Socinianis ullo modo patrocinentur, (quam suspicionem expresse à se alienam cupit, ejusdem sententiæ patronus CL. LEUSDEN. (o)) non tamen caute satis agunt, quod argumentum, pro personarum in divinitate, pluralitate, tam excellens, temerè negligant, imò quantum possunt, destruant. (p) Quanto his rectius, & nominis hujus majestati convenientius, summus GLASSIUS (q) hîc procedit; quando observationi isti: *Nomina in se pluralia vel dualia, ex speciali impositione sæpe fiunt singularia & propria;* hanc addit notam: *pertinet ad hunc canonem* ἀναλόγως *nomen DEI* אלהים, *quod plurale est, & tamen unius veri DEI nomen.*

(l) *Thes. Gramm. L. 2. C. 2. p. m. 341. coll. 353. add. GLASS. Phil. S. L. III Tr. I. Can. 25.* (m) *Quæ sententia Jo. CLERICI est, in Gen. fol. 4. jam pridem proposita à Theologis Batavis qui A. 1685. edebant: Sentimens sur l'histoire Critique du Vieux Testament, composée par le P. Richard Simon p. 426. Sed hypothesin hanc solidis argumentis impugnarunt Cel. D. D. V. E. LOESCHER. de Causis Ling. Ebr. L. I. C. III. & Dn. Prof. WICHMANNSHAUSEN, Diss. pecul. qua Linguam Ebræam de Cananæa triumphantem sistit.* (n) *Quos nominat E. GLASS. Phil. S. L. III. Tr. I. C. 25.* (o) *Phil. Hebr. Diss. XXXII. p. 378.* (p) *Cum iis qui quæstionem hac de re, inanem vocant altercationem, & vilissimam contentionem nodumque in scirpo; quique cum C. C. SANDIO Append. ad Interpret Parad. p. 328. ita impiè cavillantur: si vox* אלהים *denotaret in DEO personarum pluralitatem, cur non æque duæ vel quatuor, quam tres inde colligerentur personæ; imò si secundum numerum literarum augurari liceret, quinque essent personæ divinitatis. Vid. doctissimi Dn. Jo. Herm. von ELSWICH Observatt. Philol. super Witseri Comment. in Gen. Witseb. 1712. ed.* (q) *Phil. S. L. IV. Tr. III. Obs. I. p. m. 758.*

men. Sed vicissim expende causam pluralis numeri hîc subesse plane divinam: personarum scil. in una indivisa essentia DEI pluralitatem, quam ad ternarium vox ipsius DEI sacrosancta in Scripturis reducit. Ob impositionem igitur nomen proprium est & singulare, sed ob impositionis rationem vere plurale permanet, cum DEUM Triunum designet. Idem alibi falsas aliorum circa nominis hujus explicationem, hypotheses notavit. (r) Sed plura non addo; cum ab aliis quoque abunde jam, de nominibus istis divinis & augustis, quæ in illis latent, mysteriis actum sit. Quos inter Lectori Studioso inprimis commendo magnos illos nostræ Universitatis triumviros, b. D. D. DORSCHEUM, b. D. D. DANNHAUERUM & b. D. D. Seb. SCHMIDIUM; hunc in Diss. Inaug. An. 1654. d. 12. Apr. publice apud nos habitâ: *De antiquissima Fide Mosaica circa mysterium SS. Trinitatis ex verbis Gen. I, 3. & parall.* illum in *Hodos. Phæn. III.* p. 193. seqq. *& Lacte Catechet. T. I. Conc.* 2. in Præc. Decal. I. istum in *Pentadec.* p. 386. & 622. in Diss. peculiari quæ numero V. est partis prioris Vindiciarum & Animadvers. ad R. Bellarmini in IV. Controvv. Tomis factas allegationes, qua argumentis gravissimis comprobavit nomen *Elohim* pluralitatem Divinarum Personarum inferre; nec non Vind. earumdem P. post. Diss. IX. qua potiores, quæ de nomine JEHOVAH agitantur, controversias, & has inter eam inprimis expedivit, qua quæritur: an idem ulli unquam creaturæ communicatum sit vel communicari etiam possit? (s)

§. IV. Sed quid de צְבָאוֹת, quod nominibus istis, quæ vidimus divinis additum, habendum & num ipsum quoque nomen DEI proprium sit? paucis discipiendum. Qui affirmativam tuentur, hac cum cautela id faciunt, ut tum demum nomen DEI proprium id agnoscant, quando nomini divino alij jungitur, ut *Jes.* 1, 9, 24. 3, 1. 51, 15. 54, 5. ubi יהוה צבאות, item, *Ps.* 80, 8. 15. *Ps.* 84, 9. *Jes.* 3, 15. ubi אלהים צבאות; quibus in locis per appositionem exponendum, retentâque hebraica voce per DEUS vel Dominus Zebaoth, sive qui est Zebaoth, juxta hos reddendum est, *Nomen Zebaoth.*

(r) *Phil. S. L.* III. *tr.* I. *Can.* 25. *p.* 91. (s) *adde his* HACKSPAN. *Diss. de Nominn. Div. & J.* MARTINI *de* III. *Elohim.*

æque quippe proprium DEI nomen ac est Elohim & El. (t) Alij vero, quos inter præcipuo nominandus loco B. GLASSIUS, (u) DEI nomen τὸ Zebaoth esse negant, exercitus sive agmina, plurali isto designari contendentes. Atq; huic quidem sententiæ calculum nostrum nos quoque addere nulli dubitamus, observantes vocis צבא significatum ordinariè duplicem esse: alterum & communem quidem istum, quo *exercitus* sive *agmina* notat, non angelica tantum, (x) sed omnium in universum creaturarum, quippe quæ junctim laudare DEUM jubentur à Psalte, 103, 21. 148, 2. alterum vero, *quo statum tempus* indicat, ut *Num.* 4, 23. 8, 25. quo & *Job.* 10, 17. retulerim: חליפות וצבא עמי, *vicissitudines & statum tempus sunt apud me*, h. e. unum malum alteri decedit, & per suum tempus quasi vice sua fungitur. Utroque sensu DEUS, Dominus צבאות est; nam exercitus omnes tam cœlestes, quam terrestres, & ipsi quoq; infernales, imperio ipsius sive volentes lubentesque, sive frementes & inviti subsunt, quippe quorum creator ipse est & moderator, quique (si priores spectes) bella vicario ejus nomine gerunt. Ut adeo ipsa hac significatione summa DEI fortitudo, à qua aliàs quoque denominari voluit (z) indigitetur; ad quam & LXX viralis, tum alibi tum h. quoq; l. respexit versio, τὸν צבאות אלהים παντοκράτορα vocans. Idem vero & temporum ordinator est ac stator, in natura, politia, religione & gratiæ œconomia *Dan.* 2, 21. *Act.* 17, 26. *Ep.* 1, 4. Estque ea res tanti momenti, ut hinc quoque DEUS denominari mereatur. Sunt equidem quæ pro priore, quam diximus, sententia, militare videntur rationes; sed ita comparatæ, ut responderi ad eas negotio haud difficili possit. (a)

SECTIO VII.

Zeli Prophetici Eventum Indicans.

Persecutores. §. I. Statum Ecclesiæ Israëliticæ, qualis tum fuit, tristissi-

(t) *Hæc fere Jo. LEUSDEN. l. c. Diss. 31. p. 368. de voce hac φιλολογήσαι sunt.* (u) *Phil. S. L. III. Tr. I. Can. IV. p. 387.* (x) *à quibus, juxta LORIN. in Ps. 24, 10. Deus, Dominus militiarum dicitur, quia decertant contra potestates aëreas non labore sed imperio.* (z) *Gen. 23, 20. Ex. 20, 5. Jos. 24, 19. Ps. 24, 8.* (a) *vid. allegatum sæpe Jenensem Philolog. l. c.*

stissimum, Zelota noster hactenus descripserat; nunc sua quoque exponit fata: וַיְבַקְשׁוּ אֶת־נַפְשִׁי לְקַחְתָּהּ, *sed quærunt*, inquiens, *animam meam, ut eripiant eam.* Persecutores de quibus queritur, plures fuisse, verba ipsa docent. Principatum tamen inter hos reginæ deberi ex 1. *Reg.* 19, 2. evidens est; de animo Regis dubitare ipsum non sinebant quos noverat, mores abjecti, hypocritici & tyrannici; forte & Spiritu Sancto revelante (b) cognovit, ipsum conatum Reginæ saltem non impediturum. Equidem parrhesia Eliæ emollitus videbatur, & territus insuper horrendis DEI judiciis, è tyranno, discipulus quasi ejus subitò factus fuerat: (c) sed conjugi, cujus mancipium erat, indulgens, gesta Prophetæ omnia, non iterum tantum iterumque, singulari mentis cum affectu (verbo נגד in textu S. expresso) commemoravit, sed tacite & ipse commotus, seque contra Eliam exacerbari passus fuit, ab impotentis iræ muliere; (d) sicque remota pœna non melior, sed, Pharaonis exemplo, pejor factus. Quæ pseudo-Prophetarum in turbis istis occupatio fuerit, quis labor, ex iis quæ supra jam prolata in medium sunt, facile colligitur. Hostilis certe verorum Prophetarum insectatio (qua, tanquam charactere quodam, quovis tempore notati) & flagrantes ad mortem usque divexationes & odia in genuinos DEI servos, inter incitamenta, motæ in Eliam persecutionis, haud postrema fuere. (e) Non enim tam felici ipsi esse licuit, ac Jeremias fuit, qui imperantes multo expertus est mitiores, ipsis pseudo-prophetis. Mortis namque decreto ab his facto, *principes & universus populus ad eos dixerunt, non est viro huic reatus mortis;* quod idem & Seniores terræ dixisse leguntur *Jer.* 26, 16. 17. conf. C. 38, 7. Nunc vero suis hæresiopœiæ vociferationibus, aliisq; perversis artibus, non capita modo Regni, sed maximam populi quoque partem obnoxiam sibi fecerant, adque criminandi ac divexandi societatem induxerant. (f) Et tanto quidem id obtinuere faci-

(b) *Cujusmodi revelatio in casu simili Jeremiæ quoque contigit Cap.* 11. 18. *seqq.* (c) *Dicente D. D. LANG. H. E. Vet. Test. p.* 573. (d) *Quæ b. SCHMID. ad* 1. *Reg.* 19. 1. *conjectura est.* (e) *Quid crudelibus pseudoprophetarum consiliis intendatur, Jeremiæ Prophetæ exemplo constat v. C.* 26, 8. 11. (f) *Plane ut passionis tempore, quo funestam illam in Salvatorem O. vocem,*

facilius, quo gratior miseris auditoribus pravisque hominibus palpus ipsorum esse solet, ingratæ ipsis verorum Prophetarum epanorthosi oppositus.

Causa persecut. §. II. Causam insidiarum proximam ipsa Vet. Test. Herodias clarè indicavit; nimirum ut ex Baalitarum cæde commota, sanguinem horum vindicaret 1. *Reg.* 19, 2. Adeoque ultimus earum scopus is fuit, ut ad ultimum supplicium abreptus, è medio tolleretur, qui parrhesiâ suâ Zeloque quo flagrabat, hominibus veritatis tam impatientibus molestus hactenus fuerat. Phrasis vero, qua id exprimit Propheta, plane hebræa est: ויבקשו את נפשי *quærunt animam meam*; circa quam sqq. notanda: (α) נפש vitam Hebræis μελουμικῶς notare, (g) & σωματοχικῶς totum compositum, sive totum hominem; (h) quo sensu de Messia *Jes.* 53, 11. *si dederit animam suam* &c. quod Apostolus *Eph.* 5, 2. ἑαυτὸν interpretatur. Phrasis itaque hebræa בקש נפש nihil aliud significat quam, *insidias alicui struere, & vitæ alicujus insidiari.* Quemadmodum *Ex.* 4, 19. ad Mosen DEUS: *mortui*, inquit, *sunt omnes* המבקשים את־נפשך *qui quæsiverunt animam tuam.* Nam cum Jesabel animæ Eliæ ultima fuerit minata: ponam animam tuam sicut uniuscujusque eorum, scil. Prophetarum Baalis quos tu occidisti; ipse nunc verbis ejus quasi inhærens, animam suam persecutores quærere, coram DEO queritur. Ex quibus & illud (β) palam est, frustra esse *Seb.* PFOCHEN. quando edita *de Linguæ Græcæ Novi Test. puritate*, Diatribe, qua sese fictitiis ebraismis larvam detraxisse, gloriatur, contendit phrasin illam: ζητεῖν ψυχὴν, qua N. T. Scriptores quandoque utuntur, (i) pure græcam nec N. T. ebraismis, sive locutionibus ebræum idioma redolentibus accensendam esse. Utut enim inficias ire nolim, nomen ψυχῆς profanis quoque Scriptoribus vitam notare, integram tamen phrasin eo apud hos quidem sensu occurrere, nondum inde conficitur. (k).

CAP. II.

nunquam populus protulisset, nisi ab insanientium Ψευδοπροφήτων turba fuisset ad hunc furorem concitatus. Cæterum quam frequens & acerba fuerit in Ecclesia Judaica, piorum divexatio, ad posteriora ejus tempora usque, ex L. Sapient. C. 2, 12. sqq. cognosci potest, ubi per hypotyposin quandam longa serie illa describitur. (g) *1. Reg.* 17, 17. 22. *Jer.* 21, 9. *ubi Luth.* er soll sein Leben zu einer Außbeute behalten/ *Lev.* 17, 11. 14. (h) *Gen.* 2, 7. 17, 14. *Psl.* 2, 1. (i) *Rom.* 2, 3. *Matth.* 2. 20. (k) *B. PFEIFFER. Hermen. S. C.* VIII. §. 8.

Caput Posterius.

Potiora ad Saniorem de Ecclesiâ Doctrinam vindicandam, Prudentiamque Theologicam formandam spectantia, è Textu elicit & illustrat.

Sectio Prior *Didascalico-Elenchtica De Ecclesiâ.*

THESIS I.

EX omnibus universæ Theologiæ capitibus, vix aliud, quam de Ecclesiâ argumentum, tritum magis, variisque hactenus variorum lucubrationibus majori conatu excultum esse; facile credo agnoscet, qui in monumentis eruditorum literariis evolvendis operam aliquam collocare consuevit. Nam ut, quæ primi nostri Confessores & post hos, inter plures alios, D. *Jo.* Gerhard. *Locc. Theoll. T. V. Cap.* 25. D. *Balth.* Meisnerus, & D. *Jo.* Musæus peculiaribus tractatibus hic præstiterunt, taceam; admodum solertes in eâdem materia videri quoque voluerunt, celebris Meldensium haud ita pridem Episcopus Dn. *Jac. Ben.* Bossuet. in *Histoire des Variations des Eglises Protestantes* T. II. L. 15. p. 323. Ed. 6. de A. 1718. &, quas eodem idiomate scriptas luci exposuit, in *Instruct. Pastoralibus*; Dn. item *de Salignac* Fenelonius tum in Libro *du Ministere des Pasteurs* quem Parisiis Abbas 1688. scripsit; tum in *Instructionn. Pastorall.* quas Archi-Episc. Cameracensis factus edidit; nec non Dn. *Jo.* Dezius in Tract. Gall. *de la Reunion*, sive, ut in versione Germ. rubrum istud sonat: von Vereinigung der Protestirenden zu Straßburg mit der Römischen Kirch/ *artic.* VII. & VIII. (a) Quibus recentius accessere nominandi præ aliis anonymi duo, quorum alter año hujus Sec. X. Moguntiæ in 12. edidit: Fünfftzig motiva warum der Römisch-Catholische Glaub zu erwählen; alter vero anno Seculi ejusdem XIV. Coloniæ sub isto titulo in publicum prodiit: Auffrichtiger Abriß der wahren und gantzen Catholi-

Articul. de Ecclesia maximè controversus.

(a) *Vid. quæ de hoc libro ejusque Auctore & versione narrat* DN. LAUBRUSSEL, *D. in Coll. Jesuit. Argentor. de Vita & Morte Dezii Epistola, An.* 1712. *d.* 12. *Sept. scriptâ.*

tholischen Kirchen / entworffen von einem vornehmen und Hochgelehrten Herrn von Adel. Neque vero mirum, in hoc potissimum articulo excolendo tot ingenia erudita hactenus desudasse. Nam si quis controversias illas quæ cum Papalis sedis patronis, Augustanam Confessionem invariatam amplexæ Ecclesiæ intercedunt, oculis contueri voluerit curatioribus, animadvertet, inter omnes, primas fere ac præcipuas esse, quæ in capite de Ecclesia magno conatu invicem agitantur, & in ipso hoc loco de Ecclesia vel unicam vel potissimam victoriæ spem à Pontificiis Doctoribus collocari. Unde & factum existimo quod *Eccius*, *Stapletonus* aliique, & doctrinæ quidem suæ Systemati satis convenienter, (vid. B. WALTHERI Offic. Bibl. Dedicat. p. 2. m. & B. GLASS. Phil. S. L. I. & II. Præfat. p. m. 6. seqq.) initium disputandi nobiscum ab ipso hoc Loco fieri voluerint; utpote ex quo per propositiones generales sive præjudicia, quæ vocantur, Protestantium fides uno quasi ictu subrui & ex quâdam quasi communi Topicâ varia argumentorum genera contra eamdem depromi possint.

Inprimis quod ejus invisibilitatem attinet.

§. II. Inter alia autem articuli hujus momenta, quæ ad veram Ecclesiæ indolem noscendam, probe omnino observanda, illud etiam locum occupat haud postremum, quod visibilitatem ejus concernit. In qua asserenda, tam soliciti tamque operosi propugnatores ejus fuisse deprehenduntur, ut qui pro invisibilitate pugnant, non nisi fumos vendere, incautis videri possint. Imò, qui DN. DEZII ex tract. citato p. 109. verba legerit ista: Man ist endlich überein kommen / daß man sich an keine unsichtbare Kirche / als welche nur ein pures Gedicht ist / kehren wolte; facile in eam devenire poterit opinionem, Protestantes Argentoratenses, editi saltem opusculi illius irenici tempore, à recepta jam olim de Ecclesiæ invisibilitate sententiâ defeciisse, & cum cit. auctore perpetuam ejusdem visibilitatem asserere cepisse. Sed his quidem non obstantibus, nequaquam timendum ut cordatus quispiam inconstantiæ nobis dicam scribat, si ex ipso, quem hactenus tractavimus, textu biblico, sequens in medium adtulerimus porisma: Invisibilitas ratione actus secundi

cundi, temporalis, ratione vero primi, affectio Ecclesiæ perpetua, in dubium vocari vel negari nequit, ut oculatissimus Propheta Elias non simul cœcitatis alicujus accusetur, in tanto Viro nequaquam ferendæ.

§. III. Non equidem nos latet, quam molesta sit in oculis sudes, de Invisibilitate Ecclesiæ, Protestantium sententia, Doctoribus illis, qui splendorem externum notam Ecclesiæ perpetuam faciunt. Ecclesiam, quam nos dicimus invisibilem, allegoricam, mathematicam, fictam, utopicam, imaginariam, stigmaticam, Platonicam, passim dicentibus. (b) Nec & illud ignoramus à *Th.* HENRICI, (c) A. TANNERO (d) aliisque nos accusari, ac si, Ecclesiæ hac affectione semel admissa, primos nostros Confessores turpiter deseramus; quin ipsi Confessioni Augustanæ, definitione Ecclesiæ quam tradit, masculè invisibilitatem ejusdem impugnanti, visibilitatem contra perpetuam asserenti, bellum indicamus. Sed hæc quidem tanti non sunt, ut ad mentem linguamque mutandam movere nos possint vel debeant; qui experiundo didicimus, multa sæpe homines ridere & ceu ficta rejicere, non quod vere talia sint, sed quod præconceptis eorum opinionibus adversentur. Quique plane persuasi sumus, nihil quicquam distinctione inter Ecclesiam visibilem & invisibilem, à nobis doceri, quod cum mente primorum nostrorum Confessorum & Augustanæ Confess. sententiâ non quam optime conveniat. (e) Ita ut ipsos si redirent, confectum accurate, post editos Symbolicos libros, articuli hujus Systema nobis gratulaturos, penitus confidamus. Et sane, postquam animo sincero & à præjudicatis opinionibus vacuo, argumenta utrinque militantia ponderavimus, nil quicquam deprehendimus, quod invisam nobis reddere Ecclesiæ invisibilitatem, per ipsam rerum essentiam ipsi competentem, & exterius quoque justo DEI judicio eidem quandoque immissam, jure possit. Quin asserere nulli dubita-

De qua ob-serv: variorum judicia.

 mus,

(b) *Loca eorum collecta vide apud* GERHARD. *l. c. S. 69. p. 257. A.m. D.* DIETRIC. *Inst. Cat. p. 436. f. aliosque.* (c) *Anatom: Aug. Conf. Art.* VIII. *qu. 3. p 221. §. concluso.* (d) P. II. *Demonstr:* II. §. 7. *n.* 183. (e) *Solidè id evictum dedit B. D.* BEBEL. *noster, scripta A.* 1685. *de Eccles. definit. ad A. C. Art.* VII. *erudita Dissertatione.*

mus, ad eam probandam, vel sola quæ ad manus nunc sunt, verba Eliæ, argumentum suppeditare omni exceptione superius. Prius tamen quam probandi vim inde eruamus, præmittenda quædam sunt, ut publice constet, quid distinctione Ecclesiæ in visibilem & invisibilem, Ecclesia à b. Luthero Lutherana vulgo dicta, sibi velit, & quo fine ex S. Scriptura pro illa pugnet. Finem quod spectat, aut seriò non loquuntur, aut plane eum non perspiciunt, quotquot, ut novitatis notam à doctrina nostra detergeremus, nos eamdem finxisse sibi aliisq; persuadere conantur. Quale quid post Card. BELLARMIN. apud GERHARD. de Eccl. §. 103. f. à celeberrimo etiam DN. J. B. BOSSUETO (pacis aliàs studium nos inter & ipsos præ se ferente, vid. FECHT. *Hist. Coll. Emmending. C. VIII.* §. 11. *p.* 126.) factum, merito miramur. Is namque, cum l. c. inter quatuor puncta, primo loco illud proposuisset: *Ecclesiæ vox in sacris Literis semper designat cœtum visibilem*; pag. dein 334. ita de Protestantium sententiâ statuit: cum pateret hac ratione causam ipsorum prodi, ubi statuatur, quod Ecclesia vera, visibilis semper subsistere debeat, Ecclesiam quippe Lutheranam ante Lutherum demonstrari non posse, inventam fuisse distinctionem inter Ecclesiam visibilem & invisibilem, dictumque Ecclesiam subinde persecutionibus errorumque & superstitionum nebulis tegi & obscurari posse. Facile equidem (id quod facile quivis intelligit) largimur, admissa semel, Ecclesiæ *tali qualem nos dicimus* invisibilitate, Lutheranæ ante Lutherum Ecclesiæ lucem affundi egregiam, & vix amplius superesse locum illi centies & ad nauseam usque (nec absque successu apud simpliciores) repetitæ quæstioni: ubi Ecclesia Lutherana ante Lutherum fuerit? quis Doctor quindecim ante Lutherum Seculis idem cum Luthero docuerit? (f) Sed non opus erat nostræ ante Lutherum Ecclesiæ demonstrandæ, ejus fingere invisibilitatem, qui veram, sanctam & Catholicam Ecclesiam (qua talis) semper invisibilem

Finis quem propugn. ejus intendunt. Negative.

(f) *Quod postulatum in Colloq. Emmendingensi, A. 1590. inter Pontificios & Lutheranos instituto, b. D. Jo. Pappo nostro, qui expetitus ab Inclyto Magistratu nostro ad id fuerat, à Jo. Pistorio colloquutore propositum, iniquum dicit & probat B. DANNHAUER. Theol. Consc. P. II. Spec. Dial. III. p. 556. add. b. FECHT. l. c. C. X. S. 8. p. 161.*

bilem dicimus, etiam hoc ipso tempore quo lux Evangelij clarissime per DEI gratiam splendet. (g) Promissiones enim divinæ de conservanda Ecclesia Novi Test. usque ad consummationem Seculi; de verbo item DEI nec interituro nec sine fructu mansuro; & consequentia ab Apostolo ex nostro loco facta omnique tempore valida; de consevata per omnia secula Sanctorum & Electorum Ecclesia, fidem nobis abunde faciunt, si maxime digito indice ne unum quidem ante Lutherum, inde ab Apostolorum tempore per omnia ipsi ὁμόψηφον possemus monstrare; qui ὀρθοδοξίαν B. Lutheri nostri, & quam ipse divino Spiritu actus, instauravit, Ecclesiæ veritatem puritatemque, non splendore quem habuit externo, nec hominum numero, sed sincero cum Θεοπνεύστοις Novi Veterisque Testamenti Doctoribus, Ecclesiâque ab ipsis plantata consensu, unice metimur. Neque interim dubitamus Ecclesiam Orientalem seu Græcam, ipsi Latinæ amplitudine olim superiorem, in multis fidei articulis idem quod nos hodie sentientem allegare. (h) Et si forte hodie sint, qui nostræ Confessionis homines ante Lutherum requirunt, iis non singulos, non paucos, non septem, sed plurium millium Ecclesiam Waldensium, NOSTRATI, fidei consanguinitate junctam, producimus. Hujus enim asseclas, *majores nostros* vocat Jesuita Sec. XVI. labente celebris *Edm.* CAMPIANUS; (i) & POPLINERIUS (cui Genebrardus hoc elogium tribuit, quod *pure ac simpliciter ad Historiæ veritatem non ad causæ gratiam cuncta narraverit*) Waldensium *doctrinam à nostra parum differre* fatetur. Et quamvis DN. BOSSUETUS varios in Ecclesia hac navos sibi observasse videatur, non tamen illis eam sic deformavit, ut religionis nostræ vestigia, si essentialia spectes, (fidei enim fundamentum salvum sem-

(g) *GERHARD. L. de Eccl. C. VII. p. 257. b. m.* (h) *Nam quod LEO ALLATIUS, vir alioqui doctissimus & de multis Græcis Scriptoribus præclare meritus, in opere: de Ecclesiæ occidentalis atque orientalis perpetua consensione, Græcos in Capp. Religionis cum Romanis concinere, demonstrare aggressus est, eo nihil aliud egit, quam ut utriusque Ecclesiæ perpetua dissidia illustrius ob oculos poneret, judice b. Ulmensium Antistite Cel. D. Elia VEIELIO, Exercit. Hist. Theol. De Eccles. Græcâ Hodierna A. 1661. sub b. Dannhaweri præsidio apud nos habita, p. 5. f.* (i) *De Verit. Relig. R. C. ad Anglos rat. 3.*

per manſit) in eadem quærere adque eam provocare nos pudeat. Qui ejus faciem intuemur, qualem eam repræſentat, ipſe Æ. SYLVIUS, (k) (Papali dein dignitate ſub *Pij II.* nomine conſpicuus, & reliquis in hac hiſtoriæ E. parte Scriptoribus in eo melior, quod tam tetros ſaltem errores Waldenſibus non impingat, facturus, quo erat in eos animo, ſi vera vel videri ſperaſſet:) & poſt ipſum celeberrimus Anglus P. ALLIX. qui occaſione eorū quæ *Boſſuetus* de Waldenſibus ſcripſerat, in genuinam fidei quam ipſi profeſſi olim ſunt, indolem accuratius ſibi inquirendum eſſe exiſtimavit. Quod idem in noſtrate quoque Univerſitate, ſucceſſu feliciſſimo præſtitum eſt à doctiſſimo Juvene *Joach. Heſterbergio Hamburg.* in erudita: *De Eccleſiâ Waldenſium Orthodoxiæ Lutheranæ Teſte & Socia*, Diſſertatione an. Sec. ſup. 59. ſub auſpicio B.D. DANNHAUERI noſtri ſolenniter habita. Ut alias hominum claſſes in quibus ſervatam Eccleſiam noſtram ante Lutherum, demonſtratum à noſtris eſt, nunc brevitatis gratia omittam. (l)

Poſitivè. §. V. Non ergo ſincere nobiſcum agunt, qui Eccleſiam inviſibilem fingere nos dicunt, ut novitatis notam *à doctrinâ & ſecta* (ita Eccleſiam noſtram contemtim vocant) *noſtra detergamus;* cum non ignorare poſſint, alias longe diſtinctionis Eccleſiæ in viſibilem & inviſibilem nobis eſſe rationes. Iſtas nempe: ut vera Eccleſiæ veræ indoles & natura tanto ſic cognoſcatur clarius, & nomen ab eſſentia Eccleſiæ eo accuratius diſtinguatur. Quod vel ideo ſolicite faciendum, ut pateat, quam inanes ſint quæ multorum animos proh! dolor occupant, perſuaſiones, quibus in impietate ſibi ſua blandiuntur, & ſecuri de ſalute ſua ſunt, nullo alio vanæ fiduciæ fundamento inſtructi, quam quod membra veræ Eccleſiæ ſint, & eandem cum hac fidem profiteantur. Atque hinc ad ſe quoque pertinere ſtatuunt inſignes illas pro-

(k) *Hiſt. Boh. C. 35.* (l) *Vid. B. DANNHAUERI Hodoſoph. p. 115. & Teſtium veritatis Catalogum, quem prolixum ſatis hunc in finem confecit M. FLACIUS. Teſtantur enim Hiſtoriæ non ſolum occultos quoſdam homines, Eccleſiam ſuperioribus ſeculis conſtituiſſe, ſed ſemper aliquos fuiſſe, qui & voce & ſanguine veritatem profeſſi, in variis doctrinæ capitibus contradixerunt. vid. B.D.Æ. HUNNII, Opp. Theoll. T. V. Diſp. 49. §. 65. 67. & Diſp. X. §. 169. ſqq.*

promissiones, ac honorifica encomia, quæ veræ Ecclesiæ & congregationi Sanctorum in sacra Scriptura tribuuntur. Contra hos sane urgendum, ad salutem non sufficere, ut quis in visibili cœtu Ecclesiæ verbum audiat, fidem profiteatur & Sacramentis utatur, nisi & interius regeneratus & Spiritu S. donatus viva fide Christo capiti adhæreat, & charitatis glutine reliquis hujus corporis mystici membris sit conjunctus. Quæ distinctio inter formam Ecclesiæ internam & externam ab Apostolo 1. *Joh.* 1, 19. innuitur. Cui & altera, eaque non minus gravis nostræ distinctionis ratio accedit, quod scilicet ipse Spiritus S. distinctè de Ecclesia in Scriptura S. loquatur; locum in eadem quandoque universo vocatorum cœtui concedens, in quo omnes qui externa professione sese aggregant ad auditum verbi & usum Sacramentorum, comprehenduntur, *Actor.* 20, 28. *seqq. Apocal.* 1, 4. conf. *Matth.* 7, 21. 20, 16. 22, 14. & cuncta illa loca & argumenta quibus nostri, hypocritas etiam & impios Ecclesiæ esse admixtos, probant; de quibus perspicue, ut solet, egit *Maxime Reverendus Facultatis nostræ Senior* DN. D. WAGNERUS, multis mihi nominibus colendus & amandus, Disputat. Theol. *de Malis Ecclesiæ admixtis ad Art. VIII. A. C. An.* 1708. *conscripta.* Interdum vero de membris Ecclesiæ ita Scriptura loquitur, ut non nisi cœtus verè fidelium & Sanctorum intelligi possit, qui vera fide cordis & interiore regeneratione sunt donati, quorum hinc splendor & ornatus, interior & absconditus dicitur *Ps.* 45, 14. quorum notitia soli DEO vendicatur 2. *Tim.* 2, 18. 1. *Sam.* 16, 7. 1. *Reg.* 8, 39. qui Christi sponsa & virgo casta audiunt 2. *Cor.* 11, 2. Oves Christi pastoris sui vocem audientes, *Joh.* 10, 27. Corpus Christi, *Eph.* 4, 12. capitis invisibilis, 1. *Pet.* 1, 8. constituentes; denique Ecclesia militans, à militia spirituali & invisibili, quam cum hoste invisibili, armis invisibilibus sub agonotheta invisibili *Ephes.* 6, 12. exercent, dicti. (m)

§. V. Hos ipsos vero sanctos & electos, Ecclesiam proprie sic dictam constituentes, non extra cœtum vocatorum collocamus, nec peculiarem ipsos separatamque Ecclesiam

Sancti & electi sunt in cœtu visib. vocatorum

(m) *Conf. Ps.* 83, 4. *Rom.* 2, 28. 29. *Cap.* 9, 6. 1. *Pet.* 3, 4.

siam constituere dicimus, sed in ipso vocatorum cœtu ordinarie (n) contineri & externa societate, ubi hæc datur, ipsos his conjunctos profitemur. Quin & istam Sanctorum & electorum congregationem visibilem dicimus, quatenus in oculos incurrit per externam professionem verbi & administrationem usumque Sacramentorum. Dann (ita B. D. Melch. NICOLAI Theologus quondam Tubingens. celeb. (o) weil die Außerwehlte ihren inwendigen Schmuck des Glaubens/ der Hoffnung/ und der Liebe/ allein von GOtt/ vermittelst des sichtbarlich gepredigten Worts/ und verwalteter auch gebrauchter Sacramenten erlangen/ so folget/ so lang die unsichtbare Kirch der Außerwehlten bleibe/ so lang bleibe auch die sichtbare Predig/ Verwaltung und Gebrauch des Worts/ und der Sacramenten/ und solcher gestalt auch die sichtbare Kirch/ welche nichts anders ist als dieselbe Gemein der Außerwehlten/ auß dem Wort und Sacramenten gezeuget/ durch dieselbige zusammen gehalten/ und biß auff den Tag des Gerichts/ mit Heuchlern und Gottlosen/ darum sie Augustinus permixtam (vermischet) geheissen/ vor menschlichen Augen vermenget. Unde & b. DANNHAUERI nostri (p) hac de re verba nostra facere nulli dubitamus, quando *rigido*, inquit, *adversario non negaverim Ecclesiam semper fuisse visibilem, sicut lucerna non emuncta semper lucet præsente oleo, sed cum muco.* (q)

§. VI. Jam si quæras: quænam totius hujus aggregati ex partibus & excrementis, membris vivis & mortuis, sanctis & non sanctis, conflati, pars nobilior sit, quæ proprie florem & cor ejus constituit, & cui elogia illa, illæ promissiones Ecclesiæ toties factæ, illa privilegia & excellentiæ eidem concessæ competunt? Non nostris sed ipsius R. BELLARMI-

(n) *Potest enim etiam extra Ecclesiam visibilem particularem salus esse ei, qui e. g. in Turcia captivus vere fidelis est: item infans inter hæreticos natus ac baptizatus, qui citâ morte denascitur, quæ b. DANNHAUERI, Hodos. p.* 112. *observatio est. add. idem in Deliquiis Onirocritarum Batavorum Adr. & P. de Walenburch. p.* 145. (o) Gründl. Beantwortung zweyer Schrifften/ welche unter dem Nahmen des D. H. F. v. H. H. Christ. Wilh. Marggr. zu Brand. in den Druck gegeben/ *p.* 302. (p) *Theol. Conse. P.* II. *Dial.* III. *p.* 570. (q) *Quod exemplo Ecclesiæ Judaicæ V. Test. constat. vid. NICOLAI l. c. p.* 303.

LARMINI verbis (quod ad prius adtinet) respondebimus, quæ ita habent: (r) *dicitur etiam sancta*, Ecclesia, *propter sanctos quos habet, & non propterea dici debet etiam scelerata, nam denominatio fit à meliori, & præterea, quia habere sanctos est proprium Ecclesiæ, quia ipsa sola habet vere sanctos: at habere malos non est proprium Ecclesiæ, id enim etiam aliis cœtibus convenit.* Paria his habet Doctor Doctorum à Clem. VIII. P. renunciatus, GR. de VALENTIA Metinensis & Sec. XVI. labente Ingolstad. Profess. Jesuita, (s) regulam istam proponens: *Si quid interdum vel à Scriptura sacra vel à Patribus tribuitur Ecclesiæ, quod aut justis tantum aut prædestinatis tantum conveniat; id non ad Ecclesiam totam, sed per synecdochen ad Ecclesiæ partes præstantiores referri debet.* Sancta itaque, juxta hæc, Ecclesia dicenda propter Sanctos, ex ea ratione, quia de nominatio fit à potiori & meliori. Jam vero id quod de Ecclesia non videtur melius est eo, quod in cernendi sensum incurrit. Nisi forte corpus Sanctorum quod in oculos incurrit, melius dicere velis, fide, spe, charitate aliisque virtutibus in animis ipsorum latentibus, & soli DEO cordium scrutatori notis. Altera ratio à *Bellarm.* allegata hæc est: quia Ecclesiæ proprium est habere vere sanctos. Atqui ipsum illud quod proprium Ecclesiæ est, nec cœtibus aliis convenit, non videtur, fides scil. spes, charitas &c. Consequitur E. Ecclesiam invisibilem dicendam, saltem resp. electorum, & partis Ecclesiæ nobilioris, quia electionis DEI per quam electi, & donorum spiritualium per quæ sancti fiunt, invisibilitas negari nulla fronte potest. Verumque adeo erit antecedens istius propositionis, quam ipse Cardinalis L. III. de E. M. C. X. §. *deinde* & seq. format & optimè procedet illa consequentia: *si Ecclesia sit cœtus verè credentium, nullam amplius inter nos esse controversiam de ejus visibilitate.*

§. VII. Quæ cum ita se habeant, aut capere mentem nostram nolunt, tam perspicue & ingenue licet proposita; aut sine charitate, quæ viros res sacras tractantes omnino decebat, nobis tribuunt, quod duas fingamus

Sentent. nostra ulterius explicatur.

L Ec-

(r) *De E. M. L. III. C. 9. § respondeo. Disput. de Controv. &c. T. II. p. Ed. Lugd. in 8. de A. 1610. 174.* (s) *Anal. Fid. Cath. L. 6. C. 3. p. 36. & c. 4. p. 37.*

Ecclesias; & quod nostra de Invisibilitate Ecclesiæ sententia, ex Pelagianorum, Novatianorum, & Donatistarum hæresi sit conflata. (t) An ne enim hoc duas facere Ecclesias est, unam, (u) unam inquam eamdemque Ecclesiam diverso considerare respectu? & alio quidem visibilem, alio autem invisibilem dicere. Non divisione generis in diversas species, sed distinctione ejusdem rei in diversos status. Iniquum sane esse oportet, qui vitio nobis vertat, quod Ecclesiam modo καθ' ἕξω, respectu vocationis & externæ societatis, in fidei professione, Sacramentorum usu & ecclesiasticæ disciplinæ exercitio, sitæ; modo καθ' ἔσω, respectu interioris regenerationis, & internæ societatis, quæ spiritus vinculo, fidei salvificæ unitate, spei item & charitatis ornatu absolvitur, consideremus; & priori quidem respectu visibilem, posteriore autem invisibilem eam pronunciemus. Nam quis neget ex visibili ministerio verbi & Sacramentorum, totoque cultus externi exercitio, oculis hominum obvium esse quinam ad externam Ecclesiæ Societatem pertineant? rursus quinam ad internam pertineant societatem, quis definire facile possit? cum fides, spiritualis novitas, & reliqua Spiritus S. dona quæ proprium & internum veræ Ecclesiæ decus sunt, quibusque electi tanquam viva Ecclesiæ membra à putridis & mortuis in oculis DEI discernuntur, ipsa vita quoque & beatitudo veræ fidei immediatè conjuncta, adhuc abscondita sint cum Christo *Col.* 3, 3. *Rom.* 2, 19. 1. *Pet.* 3, 4. Illorum ne doctrinam ex Donatistarum &c. hæresi conflatam, dicemus? qui Ecclesiam dupliciter considerant, 1. ut σωρὸν ἑτερογενές, bonos & malos comprehendens, 2. ut ὁμογενές, ex solis fidelibus & membris vivis collectum; quique porro docent, Ecclesiam posteriore modo consideratam & visibilem dici posse & invisibilem, at non ad idem, secundum idem & eodem tempore; visibilem qua homines habet & vocatos, qui statu ejus tranquillo externum cultum publicè celebrant; invisibilem, qua verè sanctos & electos in sinu suo ipsa fovet, qui in-

(t) *Quæ ipsius* BELLARM. *L.* III. *C.* 2. *§. quarta p.* 146. *&* 9. *§. addit. p.* 171. *de E. M. gravissima accusatio est. conf.* GERHARD. *T. V. L. de Eccl §.* 51. *p. m.* 243.

(u) *Pro qua unitate in Apost. S. assertam, iisdem quibus Bellarm. L.* III. *C.* 5. *§ probatur ultimo, nos quoque (si Vicarium Christi excipias) argumentis pugnamus.*

interius per Spiritum S. regenerantur, renovantur, vera fide donantur, illuminantur, sanctificantur, Christo inseruntur; vera hinc & viva Ecclesiæ membra, quæ ex Christo capite suo vitam ac spiritum hauriunt. Visibilem quatenus floret verbi pura prædicatione & Sacramentorum debita administratione; invisibilem quatenus hæreticorum vel schismaticorum nube tecta, aut tyrannorum persecutionibus ita pressa, ut ex pura fidei professione, & puro cultu publico innotescere nequeat. (x) Et cum lucere ad extra posset ac deberet de jure *Matth.* 5, 14. nisi impediretur, quasi eclipsata est, vel ὅλως in totum, ne lynceis quidem oculis aspectabilis; qui status fuit Ecclesiæ tempore Eliæ, post illos etiam Prophetas occisos, quos Obadias aluerat 1. *Reg.* 19, 14. vel ex parte, certo lucis gradu, comparativè & eo fere modo obscurata quo Luna, quæ ut nunquam sic deliquio laborat, quin tenue aliquid lucis appareat, maximè si instrumenta mathematica adhibeantur; ita & Ecclesia non facile sic disparet, ut non aliqua pateat rima, ut non ejusdem fidei consecraneis nota sit. (y)

§. VIII. Mira vero hìc quoque veritatis vis apparet, quæ ipsum Card. BELLARMIN. aliud forte agentem, sui testem fecit, quando (z) *videmus*, inquit, *cœtum hominum qui est Ecclesia, sed quod ille cœtus sit ipsa vera Christi Ecclesia, non videmus sed credimus. Vera enim Ecclesia est quæ profitetur Christi fidem. Quis autem evidenter scit, nostram fidem esse Christi? id quidem firma ac certissima fide credimus, sed aliud est credere aliud videre: imo ipsum credere ab Apostolo definitur argumentum non apparentium;* & §. ult. l. c. *Res illa*, inquit, *seu incomplexum illud, de quo prædicatur Ecclesiæ ratio ac definitio, visibile quiddam est: At complexum seu connexio prædicati cum subjecto sola fide tenetur.* Quibus verbis sequens nobis pro stabiliendâ sententia nostra suppeditatur argumentum: *Testes Veritatis Doctores R. C. adducuntur.*

(x) *Quemadmodum tempore passionis Christi, Ecclesia & fides conservata fuit, in quibusdam fidelibus occultis de quibus tacetur; si vel maxime omnes Apostoli fidem amisissent, quæ ipsius BELLARM. T. III. C. 17. & VALENT. Anal. L. 6. C. 4. sententia est, apud MEISNER. de Eccles. p. 493.*
(y) *Quo simili b. DANNHAUER. Hodos. Tab. p. 117. annexâ, rem illustrat.*
(z) *L. III. de E. M. C. XV. §. ad sextum. p. 202.*

Cujus forma essentialis est invisibilis illud ipsum ratione formæ essentialis est invisibile. A.

Ecclesiæ forma essentialis est invisibilis. E.

Ipsa quoque ratione istius formæ est invisibilis.

Minoris probationem ex verbis iisdem sic elicio:

Omne fide creditum per se formaliter ac utiliter est invisibile, etsi per accidens & non requisitive, sit visibile. A.

Ecclesiæ veræ forma essentialis est fide credita. E.

Ecclesiæ forma essentialis per se &c. est invisibilis, esto per accidens sit visibilis.

Neque nos movet à L. FORERO, Jesuita Dillingensi circa Sec. sup. medium, hoc argumentum frivolum ein Lumpen-Argument vocari; cum Bellarmini quam Foreri nobis potior hîc authoritas sit. (a) Quod vero de complexo & incomplexo idem *Bellarm.* dixit, id cum nostra sententia & ipsum coincidit, quâ dicimus Ecclesiam secundum *materiale* esse visibilem, secundum *formale* vero invisibilem. (b) GREG. de VALENTIA vestigiis *Bell.* insistens, *nimium dici*, existimat, *si ipsa Ecclesiæ essentia & veritas aut oculis cerni, aut evidenti ratione intelligi posse statuatur. Non enim arbitramur*, inquit, *palam aspici aut evidenter cognosci posse, quod ulla congregatio sit revera cœtus recte colentium DEUM & sancto Spiritu gubernetur.* (c) Clarius adhuc & ingenue satis WALENBURCHII loquuntur, fassi: *Nullam superesse quæstionem, de Ecclesiæ perpetua visibilitate, quia doceant Protestantes cum Rom. Cath. Ecclesiam vocatorum esse visibilem; cœtum vero electorum & fidem eorum, qui sunt in Ecclesiâ visibili, esse invisibilem, nisi accedat externa professio.* (d) Sed cum hæc hypocritica esse possit, ne ipsa quidem infallibile veræ fidei quæ salvifica est, signum est.

Nostræ nihilominus sententiæ contrarij.

§. IX. At, inquis, ita si sentit doctissimus R. E. Cardinalis; si ita statuunt alij haud infimi subsellii Doctores R. C. quid in asserenda propugnandaque Ecclesiæ invisibilitate, quam non negant, operam consumis & oleum? Sed quid-

(a) *conf. B. DANNH. Hodom. P. Phant II p. 325. seq. & SCHERZER. Syst. Theol L. XXV. §. 16. p. 704.* (b) *Pronunciante Cel.* eodem SCHERZERO, *l. c.* (c) *E. 17. Anal. C. 4.* (d) *T. II. Opp. Tr. I. C. VIII. f. 4. Quem locum jure etiam urget laudatus modo Lipsius Theologus l. c.*

quidquid scribat Bellarminus, quidquid dicant alij ipsius contribules de invisibilitate Ecclesiæ, manet ipsis nihilominus odiosa, nec possunt eam quo revera est modo concedere, si salvas esse velint, quas de Ecclesiâ fovent hypotheses, inprimis istas: Ecclesiæ vocem in S. S. semper cœtum visibilem designare, & ita quidem visibilem ac palpabilem ut est Regnum Galliæ, vel populus Romanus, vel Respubl. Venetorum: (2.) Impios esse quidem mortua & arida, sed nihilominus vera Ecclesiæ membra: (3.) Ecclesiæ veritatem ac dignitatem æstimandam esse ex nomine Catholico, ex amplitudine, ex successione Episcoporum, ex felicitate temporali &c. hæcque Ecclesiæ veræ perpetua esse & ἀχώρισα: (4.) Necesse esse ostendi Ecclesiam veram in publico exercitio, quo cessante, nullam amplius esse Ecclesiam: (5.) Impossibile esse totam Ecclesiam ita invisibilem reddi, ut nulla terrarum regione appareat. Quæ ut obvia ubivis apud ipsos, ita nihil ad ea dici à nobis potest, quod non centies dictum repetitumque à nostris sit; quos si legere cum charitate & absque præjudiciis velint, qui in contrarias hodienum partes à nobis discedunt, facile à quorum partibus stet veritas, dijudicare poterunt; desinentq; Psalmi inprimis 19,5. & b. AUGUSTINI ad locum istum authoritatem, pro perpetuâ visibilitate probandâ, nobis opponere; agnoscentes longè aliud in hebræo fonte esse, quam quod versione latina exprimitur; & allegoricis interpretationibus, qualis illa b. Præsulis Hipponensis non, (qui locus vulgo allegatur) in istum locum Ps. T. VIII. Opp. p. 37. sed Tr II. Expos. Epist. Joan. T. IX. Opp. Edit. Paris. p. 241. A. præsertim ex vitiosa versione petitis, in fidei dogmatum probatione exiguam vel nullam vim esse; maximè ubi earum auctor, mentem suam circa quæstionem controversam alibi perspicuè proposuit. Quale quid ab AUGUST. factum, L. IV. C. 11. sqq. de Bapt. contra Donatist. T. VII. Opp. p 49. sqq. & L 1. de Cons. Evang. C. 31. Epist. item 48. ad Vincent. & Epist. 80. Ubi tamen & illud notari velim, AUGUSTINO cum Donatistis potissimum litem intercessisse, qui Ecclesiam penitus desiisse, & in quibusdam duntaxat angulis Africæ conservari blaterabant. vid. GERHARD. de

Eccl. §. 100. Et posito etiam sed non concesso, recte & versionem latinam, & quæ hac nititur allegoriam Augustini habere, nihil tamen vel parum adversæ causæ patronis inde accedet commodi. Anne enim quod in Sole est semper visibile est? atqui Sol ipse non semper apparet; certe maculæ in Solis disco nunc apparentes, nunc disparentes, tubo Batavico opus habent, dicente b. DANNHAUER. H. P. T. I. pag. 526.

Argumentū pro sent. nostra in textu.

§. X. Nobis illud nunc agendum restat, ut, quodnam nostro in loco, pro invisibilitate Ecclesiæ argumentum sit, demonstremus. Equidem vix tuto & absque turpis inconstantiæ notâ, nos ad hunc l. provocare quis dicat, qui DN. DEZII supra allegatum Tract. evolverit; ita enim p. ejus 109. ipse loquitur: Die Protestierende haben auffrichtig bekennet/ daß die Kirch/ welche allezeit geblieben sey/ und allezeit bleiben werde/ die wahre sichtbare Kirche seye: Ja daß sie auch sehr unbilligen thäten/ daß etliche unter ihren privat-Lehrern/ die Unsichtbarkeit der Kirchen unsers Heylands durch die gantze Welt zu besteiffen/ ihnen das Exempel Eliä anzuführen pflegen/ welcher die 7000. Glaubige/ so ihme GOtt vorbehalten/ auch nicht gekannt habe. Da es doch damahls einig und allein um das abtrünnige Königreich Israel zu thun war/ allwo die wahre Religion verfolget wurde/ welche aber eben zu derselben Zeit/ in dem gantzen Königreich Juda triumphierte und sichtbar war. Maximè vero obstrictos nos sibi reddidisset D. Auctor, si, ad quorum consensum provocat, Protestantes nominasset; facta simul eorum, qui, quod ipse dicit, ex h. l. probare conati sunt, mentione. Publici certe Ecclesiæ nostræ Doctores non fuerunt, de quibus quippe certo nobis constat, ipsos Præceptorum suorum vestigia nunquam deseruisse; privati autem unius alteriusve, & in rebus Theologicis parum forte versati, inconsultam facilitatem, quo jure omnibus Protestantibus tribuat, aliis dijudicandum relinquo. Nos interea nulli dubitamus, publice denuo profiteri, invictum pro Ecclesiæ invisibilitate argumentum in ipso hoc loco contineri, & verbis quidem istis: *ego relictus sum solus.* Hinc namque prona fluit con-

consequentia: Prophetæ oculatissimo nullam omnino Ecclesiam fuisse conspicuam, quippe qui existimavit, præter se, neminem alium DEO vere fidelem, reservatum esse atque relictum. Quod si ergo Ecclesia suo modo & respectu invisibilis non sit, nullam usquam, in Israëlitico saltem Regno, Ecclesiam Eliæ tempore fuisse consequetur, ab ipso quippe non visam. At id ipsum negat oraculum divinum, septem millium reservatorum, & ex Baaliticæ idolomaniæ furoribus & tempestatibus superstitum, expressam mentionem faciens. Hi certè in promiscua impiorum turba sic latebant, ut ne quidem sanctissimi & aliàs perspicacissimi Prophetæ oculis essent obvij; sed divino demum oracuło, de eorum existentia is reddendus fuerit certior.

§. XI. Quantumvis vero illustre admodum hoc exemplum sit, non tamen alij variis destituuntur exceptionibus, quibus probandi vim infringere se posse confidunt. Has inter speciosa inprimis illa est quam *Cardin.* BELLARM. (e) aliique (f) urgent: Eliam non loqui de omni populo Judæorum, sed de ea solum parte quæ subjecta erat Regi Samariæ, adeoque de Ecclesia particulari; cum ex tertio Regum libro constet, tempore Eliæ regnasse in Jerusalem, Asa & post eum Josaphat optimos Reges, & sub ipsis fuisse in Jerusalem populum & Sacerdotes manifestissimè in vera religione persistentes, & visibilem adeo Ecclesiam constituentes. Unde & notanter in divino oracuło addi: *in Israel*, ad indicandum, in illis qui sub Rege Samariæ erant, septem illa millia virorum relicta esse. Sed R. exceptionem hanc non ferire id, quod ex verbis nostris nos deducimus, nempe sub Ecclesiâ falsa visibili, latere posse Ecclesiam veram, summorum Virorum conspectui nequaquam obviam, & visibilem aliquem illustremque cœtum non constituentem: sive quod idem: posse esse Ecclesiam particularem, ubi nulla habetur pura fidei professio, aut nullum purum publicumque religionis exercitium, tempore scilicet persecutionis aut invalescentis hæreseos,

Exceptiones aliorum.

I. *Fuisse Ecclesiam visibil. in Regno Judæ.*

Resp. ad eam.

(e) *L. III. C. 16. de E. M. S. tertio. p. 203 & §. ad illud, p. 204.*
(f) *M. BECAN. L. de Eccl. qu. 1. Concl. 4. n. 84. STAPLETON. Contr. 1. qu. 3. art. 1. p. 30. HUNTLÆUS Contr. 2. C. 5. DELIUS l. c.*

ſeos, ubi latere cœtus vere fidelium, vel diſperſus eſſe poteſt; ut tamen à deliteſcentia ad nullitatem N. V. C. Quin ita potius argumentandum :

Septem illa millia caruerunt publico veri cultus divini exercitio & privatim latuerunt, aliàs Elias, Propheta oculatiſſimus, ſi publicè conveniſſent, eos utique vidiſſet, nec queri potuiſſet, ſe ſolum, ceu DEI veri cultorem, inter filios Iſraël relictum eſſe.

Septem illa millia fuerunt vera Eccleſia. Ergo vera Eccleſia, vel ij, qui ſunt vera Eccleſia, nonnunquam carent publico veri cultus divini exercitio, & per conſequens, Eccleſia ibi etiam eſt, vel eſſe poteſt, ubi publicum & viſibile exercitium non habetur.

Quicquid igitur ſit de Eccleſiâ Hieroſolymitana ſub Aſſæ & Joſaphati imperio, collecta; eſto, pelluxerit illa undiquaque pura (g) caligavit tamen tota in Iſraele, gente populoſiore; & relicta nihilominus ibi ſunt 7000. Virorum qui non conſtituerunt aliquam viſibilem & illuſtrem, ſed inviſibilem & latentem Eccleſiam. Et quod huic accidit, accidere etiam potuit tribui Judæ; nec potuit tantum ſed & actu accidit. Præſertim ſub impio Rege Achaſo &c. 2. *Reg.* 16, 15. 2. *Par.* 28,20. Quod ſi ergo tempus fuit quo etiam in Juda ceſſavit publicum cultus divini exercitium, uti tum factum, quando fores templi Hieroſolymitani erant clauſæ, altaria Diis Syris erecta, etiam in omnibus plateis, vel omni Hieroſolymæ angulo. Ut Jehuda non obſervaverit præcepta DEI 2. *Par.* 28, 24. 2. *Reg.* 17, 19. nonne toto iſto tempore univerſa Eccleſia vera, quoad publicum exercitium inviſibilis dicenda erit? Sed nos nihil aliud h. l. intendimus, quam ut ex eo demonſtremus: *ibi ſæpius eſſe Eccleſiam ubi non videtur.* Et, ſi in medio iſto cœtu idololatrico, tot ſervari potuerunt fideles, ſoli DEO,

(g) *De quo tamen dubium adhuc eſt, utrum in Judæ Regno, ſub Aſa & Joſaphato, qui reguis cultus publicus, incorruptus & purus exiterit, æque omni idololatria alienus? Rationes certè haud contemnendæ adſunt, illa tempeſtate in Juda etiam corruptum fuiſſe cultum, quas allegatas vide à D. MEISNERO, Prælect. in Loc. de Eccleſ. Sect. IV. C. V. p 496. coll. p 409 f. ſeq. add. I. GERHARD. T. V. L. de Eccleſ. §. 89. p. 274. B. f. DANNH. Hodoſ. p. 173. & Lact. Catech. P. VI. Homil. XXX. p. 372. f.*

DEO, & ne quidem oculatissimis Prophetis noti; nequaquam dubitandum esse, quin idem alio etiam tempore fieri potuerit, licet nomina & loca latentium ignoremus. Atque hoc ipsum palmarium illud consectarium est, quod præsenti ex exemplo Doctores à Luthero denominati eliciunt, idque tam firmum, ut in hunc usque diem nihil ad id responderint illi, qui Ecclesiam ubicunque sit, semper visibilem & cunctis publicè notam scriptitant.

§. XII. Sunt etiam qui argumenti nostri robur labefactare ex eo conantur, quod Elias de solis Prophetis, non autem de omnibus veris DEI cultoribus in universum loquatur; sicque nullum sit argumentum hunc in modum concludens: *Si unicus tum temporis Propheta docuit, nimirum Elias, E. nulli fuerunt veri DEI cultores publici, nullum exercitium publicum.* (h) Sed si contextus habeatur ratio, nullum, huic quidem exceptioni locum esse clare patebit: nam cum de filiis Israël, DEI pactum derelinquentibus Prophetam loqui, manifestum sit, de iisdem etiam postrema ejus verba exclusiva capienda esse quis negaverit? Et, si inter tot fidelium millia superstitem se ipse novisset, quid divino oraculo, quod fidem ipsi faceret, fuisset opus? Quibus accedit ipsius Θεοπνεύς-υ Apostoli explicatio authentica, verba Prophetæ non de solis Prophetis sed de electis intelligenda docens, *Rom.* 11,4. quippe quibus τῦ λείμμαΓ⊙ χάριΓ⊙ appellatio æque ac illis convenit. Quæ cum adeo manifesta sint, ut ipsi doctiores ex R. C. Doctoribus, suum iis calculum addant; (i) præter allegatos neminem vidi, cui ista quidem excipiendi ratio arrideret.

II. *Except. Eliam loqui de Prophetis.*

§. XIII. Sed porro instant, ipsa illa septem millia, quæ nobis invisibilis Ecclesia t. t. fuisse dicuntur, visibilem fuisseEcclesiam; ex ipsa negata genuflexione cognoscendam fidemque hâc publice professam. Ita J. G. HUNTLÆUS Jesuita Scotus (k) & Auctor des Brandenb. Wahrheit-Spiegels. (l)

III. *Except. illa septem millia visib. Eccl. fuisse.*

M Sed

(h) *Ita E. CAMPIAN. jam sup. citát. apud WITAKER. qu. 3. de Eccl. C. 3. p. 221. Auctor* des Brandenb. Wahrh. Spiegels *apud b NICOLAI, l. c. p. 330.* (i) *vid. ex plurr. G. ESTIUS in Rom. l. c.* (k) *Epit. Controv. 2. C. 5. p. 275.* (l) *apud D. NICOLAI l. c. p. 330.*

Sed facile his quidem fuit videre Ecclesiam, digito divino quasi indice monstratam, quæ Eliæ ante editum de illa oraculum omnino invisibilis erat. Ne ergo oculatiores Propheta oculatissimo, Huntlæum & alterum, nescio quem lucifugam, quis existimet, ad argumentum sequens probe velim attendat:

Q. latent in medio cœtu idololatrico, cultumque divinum publicè non exercent, & ne quidem Prophetis, sed soli DEO noti sunt, illi visibilem Ecclesiam non constituunt; hæc namque cœtus est DEUM publicè *colentium; & cujusvis aspectui patentium.*

A. Illa septem millia latuerunt &c. E. *Septem illa millia visibilem Ecclesiam non constituerunt,*

& per consequens, necessariò concedenda est aliqua Ecclesia invisibilis, cujus illi membra fuerunt.

Usus exempli hujus in destruendis argumentis pro visib. perp.

§. XIV. Idem vero exemplum utilem quoque nobis operam præstat, ubi ad quasdam, quibus perpetuam Ecclesiæ visibilitatem alij probant, rationes respondendum est. Sic quando R. BELLARMIN. visibilitatem Ecclesiæ perpetuam probaturus, ita procedit: Si aliquando sola maneret in mundo Ecclesia invisibilis, aliquando etiam salus esset impossibilis iis, qui sunt extra Ecclesiam &c. (m) nostri respondent distinguendo inter Ecclesiam Catholicam & particularem; atque inter accessum ad Ecclesiam externum & internum; hunc-que simpliciter necessarium dicunt, ex trito: extra Ecclesiam non est salus; cum nemo salvari possit nisi qui vera fide præditus, atque ita Christo capiti insertus vivum corporis mystici membrum evasit, non item illum. Idque suum assertum ipsis istis septem millibus fidelium probant, cum quibus misere sane fuisset actum si visibili alicui & particulari Ecclesiæ sese jungere simpliciter necessarium esset. (n) Eâdem respondendi ratione, nostri quoque uti solent, cum de Bellarminiano illo dilemmate, quid habendum sit, ostendunt: vel homines illi occulti, qui Ecclesiam invisibilem constituunt, profitentur palam fidem suam, & abstinent ab idolorum

(m) *L. III. de E. M. C. 13. §. ult. prob.* (n) *B. GERHARD. L. de Eccl. §. 101. MEISNER. Præl. de Eccl. S. IV. C. V. p. 439. sqq. b. Seb. SCHMID. Diss. de Eccl. Invis. §. 39.*

rum cultura, vel non: si profitentur, E. non est Ecclesia invisibilis, sed maxime visibilis, sicut erat tempore Martyrum: si non profitentur E. nulla est Ecclesia.(*) Ad hoc, inquam dilemma, quemadmodum variis distinctionibus: inter fidem internam & externam; inter Christianos infirmos & robustos; inter casum confessionis & publicam confessionem, &c. adhibitis, nostri, in quantum professio oris externa, vel necessaria vel non necessaria sit, demonstrant; ita præsentis quoque, quam in textu nostro habemus, Ecclesiæ invisibilis exemplo adducto respondent; ita inferentes: Fideles tempore Eliæ in Regno Israëlitico, vel profitebantur fidem & sic noti fuissent Eliæ, vel non profitebantur fidem. Prius contra textum est; verum ergo erit posterius. Anne autem ob externæ professionis defectum veros DEI cultores, ipsos fuisse negabimus? Contrarium cerre DEUS ipse, testatur. Et, annon eodem hoc dilemmate contra responsum divinum argumentari Propheta potuisset: Septem illa hominum millia, aut profitentur fidem aut non profitentur; si profitentur qui fieri quæso potuit, quod non viderim ipsos? si non profitentur, absit à me ut pro servis tuis ipsos habeam & ad Ecclesiam veram pertinere statuam. (o).

§. XV. Sed ne inanis sit, omnis ille, quem in probanda ex texru nostro, Ecclesiæ invisibilitate, insumsimus labor, breviter dispiciendum, fas ne sit à V. T. ad N. T. Ecclesiam argumentari? Hoc enim est quod negat M. BECANUS: (p) *non sequitur*, inquiens, *Synagoga deficit, ergo Eccl. deficiet, primò, quia Ecclesia habet promissionem de sua firmitate ac stabilitate, quam Synagoga non habuit* &c. Negat idem *Th.* HENRICI (q) qui, *tametsi*, inquit, *tota Synagoga visibilis aliquando defecisset, hoc tamen ad Christi Ecclesiam trahendum non esset, quia Synagogæ tam præclaræ promissiones de perpetua duratione factæ non sunt, ut Ecclesiæ Christi* &c. ut plures alios idem cum ipsis sentientes taceam. Sed huic quidem exceptioni ut immoremur opus nequaquam est. Ab Ecclesia enim V. Test. ad N. Test. Ecclesiam, ipsi nos argumentari docent Apostoli. D. Paulus qui-

Except. postrema.

(*) *De E. M. L.* III. *C.* XIII. *§. ult.* (o) *B.* GERHARD. *L. de Eccl. §.* 103. *B.* MEISNER. *Prælect. de Eccl. d* 444 (p) *Lib. de Eccles. quæst. I. Concl.* 4. *p.* 76. (q) *Anat. A. C. Art.* VII. *qu.* 3. *p.* 226. *§. resp.*

quidem, *Rom.* 11, 4. hoc exemplum ad ſtatum Eccleſiæ N. Teſt. diſerte accomodans, ſicque ab illo ad omnia tempora concludere nos docens; (r) D. Petrus autem 2. *Ep.* 3, 1. Quod vero de promiſſionibus dicitur, illas in N. T. ampliores eſſe quam in V. fuerint, id ſine ſolido fundamento dici, comparatione inſtituta, dudum noſtri demonſtrarunt. (s) Unde tandem concludo: Eccleſiam INVISIBILEM, nequaquam Allegoricam, Tropicam, Metaphyſicam, Phantaſticam, eſſe nominandam; cum illa 7000. Iſraëlitarum latentium, Eccleſia phantaſtica nequaquam fuerit; nec Symbolum Apoſtolicum phantaſticam conſtituat ac proponat Eccleſiam, quando non oculis, ſed fide eam cognoſcendam admonet. Quibus verbis ante hos centum & quatuor fere annos, in eâdem hac materia uſus eſt, primus Theologiæ Doctor, poſt impetratum privilegium, in Univerſitate noſtra 1621. renunciatus D. *Tobias* SPECCER, Eccleſ. ad D. Nicol. Paſtor & SS. Theol. Prof. in Orat. Secul. an. 1617. d. 19. Nov. publicè habitâ, & in Acta Jubilæi Luther. Acad. Argentor. relatâ.

SECTIO POSTERIOR,

De Prudentiâ circa Zelum in officio Sacro præcipue adhibendâ.

THES. I.

Zeli Neceſſitas. ZElus qui eſt ſecundum ſcientiam, h. e. ſi ab iis qui rem intelligunt, & gloriam DEI Eccleſiæque ſalutem ſeriò & ſincerè quærunt, juſto tempore, modo locoque debito adhibeatur, quemadmodum omnibus, cujuscunque de cætero conditionis ſint, Chriſtianis de meliori commendandus; ita ſigillatim & ratione quadam ſpeciali eos decet, quos *nutritios & lactatrices*, *Jeſ.* 49, 23. Eccleſiæ ſuæ dedit provida Numinis cura, Reges & Principes (t) operam daturos, ut cives ſui

(r) *vid. B. Seb.* SCHMID. *Coll. Bibl. prius p.* 344. §. 11. (s) GERHARD. *de Eccl* §. 89. & 111. D. FECHT. Kurtz. Begriff der Evangel. reinen Lehre von der beharrl. Beſtändigkeit der Kirchen/ *quod ſuæ Emmending. Coll. Hiſtor. inſeruit*, §. XI. *ſeqq.* (t) *De quo Principum & Magiſtratuum officio egregia habent Theologi Saxonici*, in der Haupt-Vertheidigung

sui vitam agant ἐν πάσῃ εὐσεβείᾳ καὶ σεμνότητι, 1. Tim. 2, 2. & specialissime in Theologo & Ecclesiæ Ministro, adeo improbandus non est, ut inter præcipuas potius, quæ ipsum decent ornantque virtutes, locum ipse mereatur. Voluit enim prudentiæ Theologicæ Magister sine pari, non pacem tantum, sed & salem in officij functione Ministros suos habere, *Marc.* 9, 50. Indigitans (ex THEOPHYLACTI in l. c. simile illud evolventis sententiâ) pacem cum hominibus ita ab ipsis colendam, ne in malo interim cum ipsis colludant, sed debita potius cum severitate & quadam quasi acrimoniâ corripiant, quæcunq; DEO ejusq; sanctissimæ voluntati adversa esse observant. Et Apostolus Ecclesiæ Doctorem non in corripiendo tantum vult esse, sed arguere quoque, increpare, objurgare & quidem ἀποτόμως *severe* ad *Tit.* 1, 9. 13. Unde & in Angelo seu Præsule Ecclesiæ Laodicensis, hujus Zeli defectus cumprimis reprehenditur *Apoc.* 3, 15. Neque hinc mirum ejus defectum gemitus & lachrymas viris cordatis exprimere. Quemadmodum tepori isti & frigori ævo suo illachrymasse, Argentinæ nostræ decus quondam eximium B. D. DANNHAUERUM, testis est filius ejus γνήσιος, virtutum ex asse hæres & laudator eloquentissimus B. D. BEBEL. cujus, ex *Orat. Parent.* p. 138. verba integra hic adscribere haud piget: *inprimis acerbissimis ille lachrymis deplorabat teporem & somnolentiam plerorumque eorum, quos in mundo doctrina fulgere, elencho pugnare, constantia ruinam sustinere oportebat: Ipse vero videbat erroribus caligare, odio adversus Zelotas flagrare, securitate dormire, facilitate Ecclesiam prodere, obsequiis incurvari, ut mundo placeant, loculos suffarciant, & securâ pace fruantur, i. e. tandem cum mundo suo & mundi principe pereant.* (u)

§. II. Nequaquam ergo sacri officij indolem perspectam satis habere censendi sunt, qui omnia prius quam Zelum in strenuis divinioris doctrinæ vindicibus æquo animo *Hostes Zeli Theologici.*

gung des Aug. Apffels (*quod opus peculiari jussu Sereniss. Electoris D. Matth. HOE* ab Hoenegg *conscripsit*) *C. VI. disputatque de eodem, pro more eleganter Illustr. SECKENDORF.* im Christen-Staat *L. II. C. XI. S. 2. p. 387.* (u) *conf. D. D. G. NITSCHIUS, Gothanæ Ecclesiæ supremus Antistes in Disquis. Theol. qua Mystam Fervidum sistit, & de Zelo quo Minister in suo calere debet officio, agit. add. DN. GERBER.* unerk. Sünden der W. P. III. C. 27.

ferre possunt. Convitiatores ipsos vocantes, rixatores, turbatores, Ecclesiastici belli tubicines, dissidiorum flabella, publicæ pacis osores & perturbatores, contentionum authores; modestiæ, charitatis & mansuetudinis Christianæ limites impudenter transgredientes; unnütze Plauderer; Wäscher; Zäncker; Friedhässige; Frieden-Störer; Rebellen; Meutmacher; Seelen-mörder/ die man soll auß der Christenheit jagen/ und auß dem Religions-Frieden schliessen/ ja endlich gar dem Meister Hannsen übergeben. Cujusmodi convitiorum nominibus non illæ modo chartæ scatent, quas jam olim ab *H. Zwinglij* partibus stantes emiserunt; (x) sed recentiorum quoque Irenicorum quidam ab ejusmodi scommatibus non plane abstinuerunt. (y) Inprimis vero Fanaticorum solennis illa cantilena est, qui in Theologos elenchum tractantes, insulse debacchari, præcipuum laudis argumentum esse impiè existimant. (z) Et si Pseudo-Politicos quosdam audias, non meliori ipsi, erga sinceros Ecclesiæ Doctores, justo zelo veritatem Evangelicam asserentes, animo esse, deprehenduntur. Nam dum sentiendi loquendique libertatem, plurimum ad Reipubl. felicitatem facere, cum spinoso Spinoza contendunt; omnem pro Religione Zelum cane & angue pejus fugiendum ac extirpandum plane censent. Omnes de controversiis fidei Religionisque Christianæ capitibus decertationes, odio plus quam vatiniano prosequuntur; & veluti non necessarias lites, imò vanas, frivolas & noxias logomachias, è Republica Christiana proscribunt; nil nisi pacem, tolerantiam, mansuetudinem crepantes & suadentes Principibus ut à dijudicandis controversiis Theologos excludant, iisque etiam invitis & reluctantibus silentium imponant. (a) Sed nec illi, Eliæ Zelotæ exemplum eo quo debebant modo intueri & imi-

(x) *De quibus vid. Præf. Dedic. quam* GARTHIUS, *B. Ægid. Hunnii Soceri sui Opp. à se editorum T. I. præmisit, & B.* FECHT. *App. ad Epist. Marbach. c.* VIII. *p.* 286. *m.* (y) *vid. B. Isr.* FAUSTII *Collat. ad Coll. Cass. p.* III. *& Wittebergg. ἐωιχῳ. p.* 86. *B.* KROMAYER. *de Elencho Tr. add.* HOORNBECK. *Iren. c.* 14. (z) *vid. Cl. M.* MULLERI, *erudita Diss. de Fervore, Tepore & Frigore Theol. ex Apoc.* III, 15. 16. *sub Præsid. Wernsdorffiano An.* 1707. *Witteb. hab.* (a) *vid. Anonym. Consilii Henstici auctor. conf. B.* SPIZEL. *Lit. Fel. p.* 635.

imitari videntur, qui inordinato pacis faciendæ Zelo laborantes, articulos controversos elevant, erroresque quantum possunt extenuant; omnes pro veritate dimicationes & certamina etiam necessaria, sub modestiæ, pacis studij, variorumque aliorum laborum prætextu, aliisque quæsitis ubique effugiis, declinantes & amicitiam concordiamq; fraternam cum adversariis, salvis etiam quæ ipsi fovent, dogmatibus, inire parati. Revera autem συγκρηπίζοντες hi sunt, & pacem, veritate (quæ juxta *Zachar.* 8,19. ejus esse debebat fundamentum) destitutam, suadent. Quod cum facile intelligant Theologi pacem cum omnibus sincerè & ipsi, sed sine veritatis dispendio anhelantes, & quam pernicioſus sub istis sive convitiis sive consiliis libertinismus lateat & indifferentismus, haud ignorent; ita pro veritate pugnant, ut in amoris sinceritate nihil interim desiderare adversarij possint; neve vicissim sub moderationis schemate Zelus extinguatur.

§. III. Verus veri Theologi Zelus, qualem in Elia videmus & laudamus, duo complectitur: flagrantem veritatis divinæ sive veræ DEI cognitionis, amorem; & vitæ morumque internam pariter & externam sanctitatem. Tam arcto enim duo ista nexu conjuncta sunt, ut alterum absque altero Zelus non sit, sed larva, spectrum & zeli cadaver. De quo quidem non satis cogitasse mihi videntur, qui nostra etiam ætate, non cautè satis agentes, pietatem ejusque studium in id fastigium evexere, ut summam Christianismi eam dicere haud dubitarent; statuentes omnia hominis Christiani officia & essentiam Religionis ipsam in amore DEI consistere, eoque non tam usu mediorum salutis, quam lumine quodam immediato interno accenso, quam ob rem & Enthusiastæ audiunt & Fanatici. Ubique hi pietatem clamant, & vitæ morumque emendationem. Sed omnis interim circa orthodoxam veritatem ab erroribus vindicandam zelus ipsis sordet. Symboli Libri, illa veræ Ecclesiæ pupilla, multorum filiorum telis hactenus infestata, illæsa tamen, sudes ipsis in oculis sunt, traditiones humanæ & conscientiarum tortura. Horum χοφηγὸς δαψιλὴς nostro ævo est, Gallus in Batavis adhuc degens *P. Poiretus*, qui è fastigio suo Mystico, interni luminis claritudi-

Zeli veri objectum.

tudine coruscus, obscuros & humiles Christianos, qui in vili cœtu Ecclesiæ verbo & Sacramentis inhærentes, salutem suam cum timore & tremore operantur, alto supercilio despicatur, tum in scriptis suis aliis, tum inprimis in Libro cui *Oeconomiæ* titulum dedit, in quo mira cernitur mixtura, & sæpe optima sæpe pessima leguntur. In moralibus quandoque nil melius, in dogmaticis vero nil monstrosius ac pejus dici potest. Et illa quidem vera & falsa, sana & morbida tam subtili eloquentia nectuntur, ut acie ingenij opus sit, ad vitium in subdolo filo deprehendendum. Reipsa tamen, ille Oeconomiæ Poiretianæ liber nihil aliud est, quam farrago quædam novarum vel noviter recoctarum opinionum. In quibus illa maximè feralis quod l. c. L. 4. C. 7. p. 186. in omni Religione salutem statuat; imò in Turcis, Judæis & Gentilibus illuminatos, *Sanctos* & *Adeptos*, non minus quam inter Christianos asserat. Adeo, ut ipse nil magis in votis ferat, quam ut genium Socratis, qui etiam Christi fuerit, possideret. (b) Sed quis in Christianorum Schola educatus talia non horreat? Eâdem tamen chorta oberrare non dubitavit præter alios, quidam in Belgio Novator & Fanaticus *Gærdenius*, editâ anno hujus Sec. octavo *Theologiâ*, quam vocat, *comparativa*, *in remedium dissidiorum Religionis & corruptorum morum in Ecclesia Christiana inventa*. Secundum quam methodum ita instituenda est rerum sacrarum tractatio, ut præcipua Religionis capita (essentiam autem religionis satis quidem speciose in solo amore DEI consistere ait) eaque maximè necessaria, certa & infallibilia definiantur, in quibus conveniant Christiani omnes; atque per hunc in necessariis consensum, pacem colant; relicta cuivis potestate pro lubitu sentiendi & statuendi de cæteris, quæ minoris sint momenti ad Religionem, cujus in omni hominis statu summa sit, *solus supremi Numinis amor & dilectio*, secundum *Matth.* 22, 37. Verum enim vero si curatius singula inspiciantur Auctor hic sub specie universalis syncretismi, indifferentismum propinare deprehenditur, &, in quo hic tandem desinit, ipsum Atheismum. Ita enim

(b) *vid. ipse l. c. L. 3. C. 13, & B. JÆGERI Exam. Theol. Novæ Proœm. p. 9 & 10.*

enim totum illud ſuum, de *fundamento amoris*, doctrinæ momentum ipſe enarrat: *Ubi conſummatus fuerit amor DEI in ſalvandorum cordibus, Sacramenta, Paſtores, Eccleſiæ, Scripturæ Sacræ*, (quas *craſſum & corporeum elementum*, ad irregenitos tantum pertinens, craſſè ſatis & impiè vocat) *mundi abnegatio, carnis mortificatio, pœnitentia, fides & quæcunque alia Religionis membra à charitate diſtincta, ceſſabunt.* En! quid agat homo Fanaticus, ipſam tandem Religionem Chriſtianam deſtruit, quæ his ipſis rebus, non aliis, continetur; (c) & omnem pro aſſerenda ejus puritate Zelum ridet.

§. IV. Quæ *Gothofr. Arnoldi*, Hæreticæ Hiſtoriæ conditoris poſt fata notiſſimi, (d) de Zelo pro cœleſti veritate, ſententia tum fuerit, cum *Myſticæ Theologiæ Hiſtoriam* conſcripſit, id abunde docent verba, quibus C. 2. §. 9. 10. in Theologiam noſtram Chriſtianam Thetico-Polemicam invehitur: *Theologiæ*, inquiens, *veræ* (quæ juxta ipſum myſtica) *opponitur falſa illa merè theoretica litigioſa Theologia Scholaſtica, pſeudo-inquam Theologia, literatura illa Biblica, grammatoſophia, ſuperficiaria circa literas verſans Scholarum Theologia, infinitas quæſtiones movens, cum litibus Scholaſticis, logomachia; cum Philoſophia item & humanis traditionibus, ſtultis quæſtionibus & genealogiis conjuncta; ſcribam quidem ſiſtens, hominem vero minimè mutans, quin ad deteriorem potius partem trahens, & cor ſufflans, ut gehennæ torturæ eripi non poſſit;* myſticam contra Theologiam ſuam *lib. cit. C. 23.* his ornat encomiis: *hæc non diſputat de verbis* (eſſentia, perſona, trinitas, ὁμοούσιον, gratis, ſola, univerſalis, particularis &c.) *nec vanas & inutiles formatquæſtiones; neminem hæreticum proclamat; nullam lædit conſcientiam; neminem ob doctrinam damnat; non præbendas, non voluptates, non gradus & titulos confert, & per hoc idem, ab aliis per homines edoctis, diſcernitur, & infeſtatur.* Quæ ſane ita comparata ſunt, ut haud obſcurè doceant, nihil aliud auctorem

N rem

(c) *Conſulendi hic omnino ſunt Viri de Eccleſia orthodoxa optimè meriti, D. D. FOERTSCH. hoſpes quondam & Præceptor noſter optimus, in Theol. Comparat. & in Select. Theoll. P. II. p. 124. & B. D. JÆGER l. c. p. 35.*

(d) *Perlebergæ enim, quæ Tractus Pregnicenſis in Marchia Brandeburg. Urbs primaria eſt, ubi Inſpectoris officium ſuſtinebat, Ann. 1714. d. 30. Maji ætat. 48. fatis functus.*

rem tum quidem egisse, quam ut libertatis Christianæ fuco obductum indifferentismum constitueret, h. e. sentiendi docendique in rebus fidei ac religionis quidquid cuique visum, licentiam. Ut sic dirutis, quibus Religio innititur fundamentis, ipsa demum collabasceret, exurgeretque nova, in qua pax & concordia indifferentistica regnaret, hoc est pietas sine religione & fide. Nolim autem eo hæc à nobis animo quis dici existimet, ut manes lacessamus Arnoldianos, aut officio mortuis debito, desimus; sed ut animum Lectoris Studiosi, si forte in libri istius lectionem incidat, præmuniamus. Optantes, ut (quod de *Sophiâ* quam inscripsit, brevi ante morbum fatalem, ipse Arnoldus, cuidam quo familiarius utebatur, dixisse fertur) talia nunquam scripta & in lucem publicam emissa ab ipso fuissent. Cæterum quæcunque hactenus de Zelo pro asserenda doctrinæ & cœlestis veritatis puritate, dicta sunt, eo nequaquam tendunt, ut rixis, & inanibus illis contentionibus, quibus eristico hoc Seculo multi sibi placent, ullo modo patrocinemur; satis gnari quam noxij illi quorundam mores, Ecclesiis nostris hactenus fuerint, quo de legi meretur *D. J. F.* OSTERWALD, in denen Quellen des klaglichen Verderbens. *P. II. F. I. p.* 249. *Edit. Ulm.* additis tamen cautelis, quas celeberr. deque Ecclesiâ, variis eruditionis monumentis, editis meritissimus *DN. Jo.* FRICK, Ulmæ suæ insigne decus, *in Præf.* qua opus illud ornavit, suppeditat, *p.* 14. *&* 19. *seqq.*

Facta Heroica non in exemplum trahenda.

§. V. Heroici motus, quorum, ut in Θεοπνεύστοις aliis, ita in Propheta etiam Elia exemplum habemus plane eximium, supra regulam sunt, & imitari eos velle κακοζηλία est. Nam Spiritus qui hîc agit liberior & impetus vehementior, communem actionum modum, donorumque vulgarium & ordinariorum mensuram excedit; neque ex privilegio uni alterive divinitùs concesso, legem aliquam communem condere fas est. *Non licet nobis*, quæ *Jo.* BRENTII Theologi sumi prudentiæ regula est, (e) *sine justâ ac divina vocatione personalia Sanctorum imitari, nisi idem verbum & eamdem vocationem habeamus, quam illi habuerunt; quod enim in vocato est justum*

(e) *In C. 13. Act. p. m. 500. conf. idem in Ioann. p. 968.*

stum obsequium, hoc in non vocato est injusta temeritas & impia præsumtio. Ipse b. LUTHER. noster, de licito & illicito imitandi alios studio gravissimis hinc inde verbis loquitur, & simios eos vocat, qui cum Spiritum heroicum non habeant, heroas tamen in factis ipsorum heroicis imitari haud erubescunt. Non puto grave erit, B. L. ipsum Megalandrum hac de re loquentem hic legere; ita autem ille: (f) Gedencke und brich dich nicht herauß/ ehe denn dich GOtt berufft/und dich heißt einen tapffern Held oder Jacob seyn/ sonst werden auß solchen Leuthen eitel Affen/ die beyde sich selbst und auch andere in Schaden führen / & brevi post: derohalben soll man von diesen Exempeln also handeln / daß gleichwohl die gemeinen Sitten unverletzt bleiben / denen man allein nachfolgen soll / und die Exempel oder Thaten der grossen Helden sollen wir ansehen/ und uns deren verwundern/ aber wir sollen denen nicht nachfolgen; & rursus paucis interjectis p. ead. 916. A.f. derhalben soll sich ein jeder selbst prüfen/was für Gaben er habe/ denn gleichwie wir am Leibe/ am Verstande und am Gut einander ungleich sind / also sind wir auch mit den geistlichen Gaben einander nicht gleich/ ein jeder soll in seinem Beruff bey dem Gesetz/ so gebräuchlich ist/ und bey dem gemeinen Recht bleiben/ biß daß ihn GOtt beruffen oder zwingen wird / daß er etwas sonderliches thun soll — — denn man muß die Personen unterscheiden / deren etliche gemeine Personen sind / die andere aber sind grosse tapffere Helden / die da sonderliche Bewegung haben/ dadurch sie getrieben werden sonderliche Thaten zu thun/denn GOtt ist der Hauß-Vatter und oberste Regent über uns alle — — er ists allein der da recht sagen kan / *sic volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas.* Quæ generatim dicta, mox exemplo illustrat stolidi *Monetarij* (ita rusticani quondam belli facem tubamque *Th. Munzerum* vocat, (g)) qui Regum

(f) *Explic. C. XXIX. Gen. T. Altenb. IX. p. 119. seq. conf. T. VI. Jen. germ. fol.* 141 *b. Idem b. Vir non male hinc colligit, plus solatij ad nos pervenire ex meditatione infirmitatis Sanctorum, quam ab exemplis Sanctorum heroicorum quæ de iis legimus sed imitari non possumus, Comm. in Joel. apud* SECKENDORF. *Hist. Luth.* III. 37. 141. (g) *Enarr. in pr. L. Mos. T. VI. Witteb. Lat. fol.* 447. *B. m.*

gum Judicumque historias legebat, & Josuæ, Simsonis, Davidis res gestas & exempla pro concione rusticis inculcabat. Vos DEI populus estis, clamans, sequi itaque Sanctorum exempla vos decet, Simsonis, Josuæ aliorumque, & occisis principibus mutare statum politicum. Pessima sane consequentia, *quia Viri heroici, qui habent singulares instinctus, à regula excipiuntur, & nos qui sub regula sumus, non possumus nec debemus eos imitari*, juxta annexam à b. Theologo ἐπίνευσιν.

Contra Zelotas Hebb.

§. VI. Notabile quoque κακοζηλίας exemplum habemus, in decantato illo apud Hebræos משפט קנאין, *jure Zelotarum*, vi cujus ad internecionem usque hominis in delicto aliquo graviore deprehensi, etiam privato alicui procedere impune licebat. Id quod, adductis ex pandectis ipsorum luculentis testimoniis pluribus edocet *Jo.* SELDENUS. (h) Quamvis enim origo, à qua manavit jus illud pendebatque הלכה למשה מסיני *Traditio Mosis è Sinai*, dicatur; similius tamen vero est, legi isti ἀγράφῳ, & orali constitutioni fingendæ, ab exemplo, cujus mentio à Mose facta, occasionem ipsos sumsisse. Pinechasi innuo factum, qui hasta trajecit, zelo accensus, Zimri Principem tribûs Simeonis & Cozbi Paganam, filiam Zur Principis Midianitarum, in stupro palam deprehensos. (i) Id vero cum plane singulare sit, non ex communi aliquo jure ortum, nedum commune aliquod jus constituens, sed speciali ductu & Spiritus Sancti incitatione patratum; adeoque θεῖόν τι in se contineat, & heroicum; *inimitabile* utique existimandum, *nisi ab eo qui Pinechæ per omnia par, in easdem circumstantias rerum inciderit.* (k) Consequenter ineptæ κακοζηλίας rei evadunt, qui in imitationem id pertraxerunt & regulam agendique jus sibi inde condiderunt. Non equidem nos latet & GROTIUM (l) ut solenni suæ, de facultate puniendi secundum jus naturæ omnibus qui paria non deliquerunt competente, hypothesi inserviat, & doctos Viros alios aliter hic sentire; sed rationibus

(h) *De Jur. Nat. & Gent. juxta Discipl. Hebr. L. IV. C. IV. seq.* (i) *Num.* 25, 7. 8. (k) *vid.* DANNHAUER. *Polit. Bibl. p.* 56. (l) *Jur. Bell. & Pac. L.* 2. *C.* 20. *S.* 9.

nibus tam solidis justitiam usurpati hujus judicij impugnavit Cl. *Guil.* SALDENUS Ultrajectt. & Hagæ Com. quondam Ecclesiast. (m) ut iniquitatis illud una cum ipso accusare nulli dubitemus.

& Hæreticorum cædes suadentes.

§. VII. Zelum quem in Elia Propheta videmus & miramur, pro heroico & extraordinario habere non possunt, qui, probaturi: *posse hæreticos ab Ecclesia damnatos, temporalibus pœnis, & etiam morte mulctari,* (n) ad Eliæ, Prophetas idololatras trucidantis factum, inter alia, quibus militant, argumenta, etiam provocant. Factum hoc observavi à *Card.* BELLARMINO; (o) is namque postquam Jo. Calvinum, Ben. Aretium & Theod. Bezam, ejusdem sententiæ patronos allegasset, hunc in modum pergit: *nos breviter ostendemus, hæreticos incorrigibiles, ac præsertim relapsos, posse ac debere ab Ecclesia rejici, & à secularibus potestatibus, temporalibus pœnis, atque ipsa etiam morte mulctari. Probatur primò Scripturis. Scriptura Veteris Testamenti Deut.* 13. *severissime jubet falsos Prophetas, qui suadent colere Deos alienos, sine ulla misericordia occidi, & cap.* 17. *postquam dixerat ut in rebus dubiis consuleretur summus Sacerdos, mox subdit: Qui autem superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, ex sententia judicis moriatur. Et rursum Cap.* 18. *Propheta falsus interfici jubetur. Et re ipsa legem hanc servarunt Helias* &c. Non jam instituti nostri ratio fert, professa opera de eo agere, quid in hæreticos Magistratui liceat; illud tantum observo, male auctorem à lege illa, de capitali hæreticorum supplicio, Mosaicâ, ad Novum Test. argumentari. Cum non modo in hoc nuspiam illa repetita sed rigor etiam ejus, per parabolam de zizaniis, & per ipsam Christi & Apostolorum doctrinam pariter & praxin plane mitigatus deprehendatur. Ita, ut quod morale in istis legibus est, studium scil. sinceritatem religionis & divini cultus conservandi, perpetuum quidem sit nos-

 que

(m) *In editis A.* 1684. *Otiis Theoll. L. IV. Ex. I. §.* 16. *p.* 632. *seqq.*

(n) *Quæ sententia (quam sanguinariam vocat b. GERHARD. T. VI. L. de Mag. Pol. §.* 314.) *quorum sit, ex adductis ab ipso variorum auctorum verbis, & locis, perspicere licet.* (o) *L. III. de Laic. C.* 21. *§. probatur primo T. II. Disp. de Controvv. &c. p.* 688.

que in N. etiam Test. obliget ; quod autem judiciale ac forense est, determinatum scil. illud pœnæ genus, ad solam Judaicam Politiam spectet, neque Magistratum Christianum in N. Test. obliget. Ubi inprimis etiam considerandæ piè est, illa utriusque veteris & novæ Oeconomiæ disparitas, quam *Luc.* 9, 55. Salvator O. ipse indigitavit. Vitium quoque argumentationis in eo est quod ab idololatris ac pseudo-prophetis V. Test. ad hæreticos N. Test. concludat, cum magna utique inter ipsos sit differentia. (p) Denique in eo argumentum quam maximè fallit, quod exemplis heroicis à peculiari Spiritus S. instinctu profectis, & deducta inde regula aliqua & lege perpetua, nitatur. Illic enim erat Elias θαυμαΐεργος in facto extraordinario ac heroico ; hîc pro hæreticorum cæde pugnant, eamque Magistratibus suadent, quos Evangelij Ministros esse oportebat ; quibusque ab Apostolo *Tit.* 3, 10. non cædes, sed fuga hæreticorum demandata. Quibus & illud accedit, quod, si ad imitationem Eliæ factum hodienum trahatur, non Magistratui tantum, sed ipsis etiam Ecclesiæ Ministris (non enim Magistratus sed Propheta Elias erat) hæreticos interficiendi jus competere dicendum sit. At ipsum hoc diserte ipse negat *Bellarminus* ; (q) *etsi*, inquiens, *Episcoporum est hæreticos excommunicare & relinquere judici seculari, & hortari etiam judices, ut munere suo fungantur, non tamen decet accusatorem agere.* Imitemur ergo Sanctos in eo quod est imitabile, non in eo quod est mirabile.

Temperam. Zeli & mansuetud.

§. VIII. Quemadmodum prudens moderamen ad omnes omnino affectus pertinet, ita in Zelo & mansuetudine, quæ eidem quodammodo opponitur solicitè inprimis adhibendum ; ne in iram & odium ille, hæc contra in nimiam degeneret lenitatem. Prudentiæ sane verè Theologicæ & Pastoralis documentum certissimum est, severitatis & lenitatis moderationisque (quæ dicente B. FECHTIO (r) *nunquam magis suspecta, nunquam minus laudabilis fuit, ex quo Ecclesia stetit*) prudens temperamentum. (s) Sicuti enim Zelus pius divina

(p) *De qua vide b. GERHARD. l. c. §. 347.* (q) *l. c. C. 22. §. resp. duabus p. 694.* (r) *Appar. ad Epist. Marbach. C. 8. p. 300.* (s) *De quo lectu dignissima sunt, quæ laudatus modo Theologus l. c. p. 299. seq. inpr.*

divina Theologi dos est & virtus, quam laudibus summis ipse Spiritus S. extollit, ita excessus ejus, quem mentis impotentia atque affectus intemperies efficit, magnorum quandoque malorum causa in Ecclesia exstitit, magisque ædificationi saluberrimæ obsuit quam profuit. Ille nimirum Zelus qui vel ex illaudabili præcipitantia proficiscitur; vel ex inimicitiâ exasperatur; vel denique ex malitia consummatur; de quo nonnemo:

Sæpe scelus Zelum cœli velamine texit
Cui Zelus cœlum est, non facit ille scelus.

Quanta damna inordinatus iste zelus Ecclesiæ jam olim dederit, id Ecclesiasticæ Historiæ monumenta abunde docent. Factum hinc, quod multæ velitationes ecclesiasticæ, in acerrimas contentiones altercationesque, ab ipso Apostolo 1. *Tim.* 4, 5. ex DEI civitate proscriptas, degenerarint, indeque ipsum nomen multorum dein expositum sit invidiæ. (t) Zelo isto inordinato, pacem & tranquillitatem turbatam vidit Ecclesia & doluit. Quale quid Theodosij junioris ætate, ineffabili suo damno experta Ecclesia Christiana, qua latè patet regnum Persicum. Incenso enim per Abdam, Ecclesiæ in Persia Episcopum, ἐκ εἰς δέον τῷ ζήλῳ χρησάμενον, *Zelo immoderato impulsum*, πυρείῳ, sive delubro aliquo, in quo ignis à Persis colebatur, adeo Varanis regis ira excanduit, ut non trucidari tantum Episcopum, & templa Christianorum destrui juberet, sed etiam novis & inauditis ante id tempus tormentis, fidelium corpora excruciaret. (u) Magnam eorum quæ dici hîc possent partem paucis complexus est *Fr.* SPANHEM. fil. (x) Qui, *equidem sic sentio*, inquit, *non flagrasset*

ex Nic. Vedelij L. I. de Prudent. Vet. Eccles. C. IV habet. Cui jungendus Theologus quondam Augustanus eruditionis fama clarissimus B. Th. SPIZEL. Inf. Lit. Commonef. XXXIV. p. 1124. seq. & Lit. Fel. p. 552. ubi variorum ex antiquitate Doctorum de suavissimo lenitatis & asperitatis nexu, monita & similia collegit. (t) QUENSTED. Eth. Past. Mon. LXVII. p. 407. (u) THEODOR. Hist. Eccl. L. V. C. 39. NIC. CALLIST. L. 14. C. 19. Add. aliud ex. apud THEODOR. l. c. 3, 22. & B. BEBEL. Antiq. Eccl. Sec. III. art. 5. §. 28. p. 891. (x) Cujus hîc judicium, judice B.D. MEYER. Musc. Min. Eccl. P. II. p. 436. recte habet, in Orat. prior. Inaug. de Prudent. p. 24.

grassetur tantâ invidiâ Adamantius, nec ejus causa tot Secula laborassent, non exiisset in orbem universum Ariana hæresis, non partes fecisset cum suis Nestorius: non divisissent orientem Paschales, vel Africam Baptismales controversiæ: Si plus fuisset in Demetriis, in Alexandris, in Cyrillis, in Victoribus, in Stephanis, à principio moderationis, nec quæsita illico dejectionum, proscriptionum, anathematismorum medicina violenta. Multi errorem vel pressissent, vel revocassent, ni traducti protinus hæreseos accusatione, in quâ Hieronymus neminem voluit esse patientem. Multi deseruissent causæ vadimonium, si modo relicta in tuto dignitatis, fortunæ existimatio. Neque dissimulabo exceptos, qui sic novaturirent, nonnunquam acerbius, sæpe non confutatos sed confossos; non correptos, sed proditos, sæpe (prout tenet hoc insanabile multos) contentionis studio magis, quam veritatis, fide defensa, sed charitate subversa; desinente amore causæ in odium personarum, defensione in offensionem, calamo in stylum, sale Christiano in Plautinos sales, & causa publica in privatam, imo errore unius, qui obduci initio potuit, in communem totius Sectæ, ex quo propalari invidiosius cœpit. Observatum quoque est *mordacem insectationem Doctorum publicorum, & optime de Ecclesia meritorum*, originem suam ad præposterum quorundam zelum inprimis referre. Quemadmodum de quibusdam ejusmodi zelotis sibi iniquioribus summus *Jo.* GERHARD. in quadam ad Jo. Arnd. Epist. apud DN. M. GERBER. Unerkandten Sünden der Welt T. III. C. VII. §. 7. conqueritur: Sie schonen meiner auch nicht/ sondern geben mir in offentlichen Predigten solche Irrthümer schuld/ die mir niemahls in Sinn kommen seyn. Quod idem notabili illo carmine latino etiam expressit ibidem:

Qui studium hoc ævo pietatis gnaviter urget,
Et Sophies partem tractat ubique sacram;
Ille Rosæcrucius vel Weigelianus habetur,
Et nota turpis ei scribitur hæreseos.

Conferri de istis seculi moribus meretur, G. CAVE *Antiquit. Apost. Dedic. ad Episc. Durham.* add. inf. §. X. Vicissim vero

p. 24. Nos vero singula prudenter examinanda & ipsos rerum harum fontes inspiciendos esse judicamus.

vero & lenitas nimia (y) multum damni Christi ovili inferre apta; eo scilicet tempore & erga eos adhibita, quos severè corripi oportebat, quorumque perversitas & malitia longe alium procedendi modum exigebat. Nimirum tum maxime detestabilis lenitas, cum flagrans in authores schismatum & scandalorum ardor erat ostendendus; (z) cum error apparet incorrigibilis, atque post medicinam suam desperatus merito morbus habetur, ut non malagmatum amplius placabilitate, sed cauteriorum opus sit adustione, nec jam improbitas excusanda, sed suis potius depingenda coloribus. Quam scribendi rationem, sanctissimis etiam Patribus adversariorum nonnunquam importunitas expressit. *Chrysostomus* à candore & mansuetudine satis aliàs comendatus, sic tamen aliquoties τῆς ἀντιλεγόντων & hostium iniquitate expugnatus fuit ut sibi non temperaret, sed stylo fræna laxaret liberius. Qui Hieronymi contra Jovinianum, Vigilantium & Ruffinum scripta evolverit, mirabitur potuisse in virum eremitam tantam bilis efferveſcentis cadere vehementiam. (a) Et si ab affectuum vehementiâ, istud legitimæ moderationis zelique temperamentum aliquando etiam interturbari contingat, tutius tamen, Chrysostomo judice, *scandalum istud permittitur, quam veritas non defenditur.* Si modo προαίρεσις & disputantis animus rite semper sit compositus, (b) ut dicere cum Apostolo ex 2. *Corinth.* 5, 13. possit: εἴτε ἐξέστημεν, Θεῷ, εἴτε σωφρονοῦμεν ὑμῖν, *sive insanimus* (insanire autem mundo videntur, qui ardentiore Zelo pro veritate depugnant *Act.* 26, 24.) *DEO insanimus: sive sani sumus, vobis sani sumus*, i.e. (exponente locum

O hunc

(y) *Diversa plane à justa gratagque DEO & bonis omnibus moderatione, cujus genuinam rationem peculiari Tr. explic. b. Theologus Daniisc. D. Sam. POMARIUS, de Moderatione Theol.* (z) *Quam in rem notabilis est HIERONYMI ad Theophilum, qui Anthropomorphitis Nitrienſibus nimium connivere videbatur, epistola, T. III. Opp. f. 141. Ed. Erasmi:* super nefariâ hæresi, quam in multa patientia geris & putas Ecclesiæ viscеribus incubantes tua posse corrigi lenitate multis Sanctis displices: ne, dum paucorum pœnitentiam præstolaris, nutrias audaciam perditorum & factio robustior fiat. Vale in Christo. (a) *Quæ B. Leonh. HUTTERI Iren. verè Christiano D. Parei Irenico oppositо, p. 14. verba sunt.* (b) *Quo argumento B. Lutherum etiam ejusque in scribendo aliquando acerbitatem, defendit & excusat Phil. MELANCHT. Tr. sup. cit. de vita Luth. Ed. Germ. p. 110. sqq.*

hunc FLACIO) si quandoque zelo videmur excedere, id nimio promovendæ gloriæ DEI desiderio imputemus, neque zelotam reprehendamus: si vero nonnunquam moderatius & lenius nos gerimus, tribuamus id ardenti studio, juvandi proximum, ne is severitate nostra irritatus pereat, nec mansuetudinem hanc odiosè exagitemus. (c) Notabile idemque triste satis exemplum nimiæ lenitatis in *Phil. Melanchtone* olim vidit Ecclesia nostra: doletque hodienum damna, quæ per ἀδιαφορείαν & Syncretisticam timiditatem atque ἀσθενείαν ipsius sibi illata meritò queritur. Id quod pluribus demonstrant B. *Jo.* AFFELMANN. Theol. Rostoch. præstantissimus edita Dissertat. de *fugiendo Philippismo*; & B.D. *Jo. Fr.* MEYERO Diss. *de Lenitate Philippi Melanchtonis*, Gryphiswald. 1707. recusa, qua ostendit, quantum Philippi lenitas Ecclesiis nostris nocuerit, imò qua ratione in hæreseωs tandem nervum eruperit.

Quod probe observ: tum

§. IX. Inter Scyllam itaque inconsulti fervoris & Charybdin nimiæ lenitatis, Theologo vela prudenter dirigenda, cavendumque ne *hac* in adulationis trahatur suspicionem qui palpum peccatoribus & hostibus veritatis faciat; neve *illâ* rigidæ inoderationis notam incurrat. Fatendum equidem, illas quas hactenus comendavimus, zeli moderationisque virtutes, rarius in uno eodemque subjecto conjunctas deprehendi; verum monere id ipsum nos potest, ut & divinam hic prædicemus providentiam; utque in ferendo de aliis judicio non simus præcipites. Ita nimirum Ecclesiæ suæ DEUS O. M. providit, ut diversos saltem, virtutibus illis exornaret; utque zelo alij æstuent; alij lenitate & humanitate amandi venerandique inveniantur; quorum dein congressu & amicâ, ubi opus esset, communicatione, illæ quasi copularentur, & comiscerentur. Cujusmodi quid suo etiam ævo piè observavit ipse B. *Lutherus*, se inter & B. *Brentium*, scitam illam eruditamque comparationem instituens, quando, *non Brentium*, ait, *sed spiritum prædico, qui in te suavior, placidior, quietior est; deinde dicendi artibus instructus, purius, luculentius & nitidius*

ad provid. divinæ celebrat.

(c) *Dignissima notatu, de stylo Patrum elenchtico Hieronymi inprimis Epiphanii, & Hilarii habet* B. SPIZEL. *Lit. Tel. p.* 710. *sqq.*

tidius fluit, itaque magis afficit & delectat. Meus vero præterquam quod artibus dicendi imperitus & incultus, nihil nisi sylvam & chaos verborum evomit; tum etiam eo fato agitur, ut turbulentus & impetuosus & veluti luctator, cum monstris infinitis semper congredi cogatur. Itaque si parvis licet componere magna, mihi de quadruplici Spiritu Eüæ ventus, motus & ignis, qui montes subvertit & petras conterit, tibi autem & tui similibus sibilus ille blandus auræ tenuis, qui refrigeret, contigit. (d) En! utrumque laudat Lutherus: summam in sacris severitatem, summamque moderationem, fateturque quod πάντα ταῦτα ἐνεργεῖ τὸ ἓν καὶ τὸ αὐτὸ Πνεῦμα, διαιροῦν ἰδίᾳ ἑκάστῳ καθὼς βούλεται, 1. *Cor.* 12, 11. Quod si Philippum Melanchtonem, *qualis superstite adhuc Megalandro, & initio inprimis fuit* spectemus, non diversorum tantum ingeniorum conjunctio patebit, sed dici etiam haud absre, cum Cel. D. MEVERO l. c. p. 13. poterit, eamdem, quamdiu unum sibi scopum ambo ex animo præfixerant, Philippique lenitas Lutheri Zelo sustentabatur, & hunc illa vicissim mitigabat, non inutilem quandoq; nostræ fuisse Ecclesiæ. Augustanam certe Confessionem, cujus ipse quidem primarius auctor fuit, (e) à Philippo tamen digeri & concinnari, ejusque Apologiam scribi permisit Lutherus, scriptamq; cum à *Ser. Joanne Electore* ad ipsum censenda mitteretur in solidum his verbis approbavit: *Illustrissime Princeps, Dne. Clementissime, perlegi Apologiam à M. Philippo scriptam, quæ mihi eximiè placet, nec quicquam in eâ corrigere aut mutare possum. Neq; etiam aliquid à me emendari conveniret. Ego enim tantâ moderatione, & lenitate styli uti non possum,* Ich kan so leise nicht tretten. *Christus Dominus noster adjuvet, ut copiosum & magnum fructum ferat, sicut speramus & petimus Amen.* (f) Interim tamen & illud clarissimè patet, Lutheri Zelum citius sine Philippi lenitate, quam hanc Lutheri Zelo destitutam magni aliquid efficere, ingentique tum negotiorum moli sufficere potuisse. Et quemadmodum ille olim apud *Homerum* ad expugnandam Trojam non trecentos Ajaces, sed

(d) *vid. B. FECHT. Appar. ad Epist. Marbach. C.* VIII. *p.* 297. (e) *vide D. Dav. CHYTRÆUS, Histor.* der Augsp. *Confess. fol. m.* 21. & 28. (f) *CHYTR. l. c. f.* 30.

tres Neſtoras ſibi exoptabat; ita magnis in Eccleſia rebus perficiendis aptiores longè futuri videntur, tres cum Zelo ſuo Lutheri, quam cum lenitate ſua trecenti Melanchtones.

Tum ad cavendum in judicio de aliis præcipitans.

§. X. Atque hæc ipſa, noſtram quoque, circa ferenda de aliis judicia, prudentiam egregiè poſſunt juvare. Ne, qui natura moderati, humani, mites, à litibus & contentionibus ſunt alieni, puſillanimitatis & tepiditatis obelo præter culpam ſuam à nobis notentur; neve viciſſim ignea ingenia, & divinitùs ad mores erroresque pravos impugnandos excitata, immoderationis rigidæ, turpisque præcipitantiæ veru inique configantur. Temperare mihi non poſſum, quo minus Theologi noſtra ætate ſummi & omnium conſenſu γνησίως orthodoxi, B. D. FECHTII verba, mea hîc faciam: *quam iniquum eſt*, inquit, *eos Theologos, qui per omnem vitam de Eccleſiâ bene ſunt meriti, de quorum orthodoxiâ tot extant, quot in lucem ſcripta ediderunt, teſtes, ſolum ideò, quia nativa quadam indole, ab acriori diſputandi methodo & amarulentis atque perſonalibus, ut loqui ſolemus, invectivis abhorrent, ut tamen aliis laudem non invideant, qui inſtigante vehementiori naturæ ſuæ ſtimulo, quodam ſtili fragore adverſarios aggrediuntur, Vatiniano quodam odio proſequi, & quantum in te eſt, ex genuinorum Theologorum albo eradicare?* (g) Quæ ſi exemplo aliquo illuſtranda eſſent, haud forte aliud magis aptum afferri in medium poſſet, eo, cujus à Theologo Tubingenſi τῷ νυῦ ἐν ἁγίοις DN. D. JÆGERO facta mentio eſt, in *Examin. Theol. Novæ & maximè Cel. Dn. Poireti ejusque Magiſtræ Mad. de Bourignon, Proœm. p. 6. & 7.* Illud tantum addo, habere & magnos viros ſua quandoque, etiam quod ad Zeli lenitatisque juſtum temperamentum attinet, πλημμελήματα, quibus tamen non ad inſultandum ipſis irritari, ſed ad cautè proſpiciendum excitari nos decet, qui forte in multis longe ipſis impares ſumus. Iniquum enim eſt, minimo quodam, ſi quod eſt, magni Theologi errato, debitis ejus, quas maximis in Eccleſiam meritis, publicè ſibi adquiſivit, laudibus, vel tantillum detrahere, & extenuare eaſdem; ſed *quod nimium videtur Eliæ pallio tegendum*, judice

(g) *l. cit. C. 8. p. 300.*

dice B. *Zach.* SCHILTERO Theologo Sec. XVI. labente Lipſ. clariſſimo Orat. Apolog. pro Luthero, oppoſitâ Orationi *Alb. Hungeri Profeſſ. & Procancellarij Ingolſtadienſ.* qua Homologiam ſive conſenſum concentumque Theologiæ Lutheri cum Philoſophia Epicuri, inaudito conatu & mira inſolentia demonſtrare in animum induxit, habitâque Lipſ. 1582. Digna ſunt, quæ in gratiam eorum, qui Lutherum nobis ſemper objiciunt, huc transferantur B. Viri verba, ex p. 34. ubi, *agnoſcamus*, inquit, *in Luthero, Spiritum, os & manum Domini. Quod ſi nimiæ aſperitatis atque acerbitatis intolerabilioris aliquid ab eo adhibitum animadvertitur, meminerimus Lutherum hominem fuiſſe, non* ἀναμαρτητον *neque* ἀνυπένθυνον, *qualis nemo ſanctorum fuit, ſed* ἀνέγκλητον *&* ἄμεμπτον *in Chriſto, neque propter opera liberi Spiritus &* παῤῥησίαν *ſingularem, ſumma ejus merita extenuemus & parvi pendamus, aut ipſum Lutherum odioſe exagitemus, ut hodie faciunt ingrati cuculi, &* μυθοκομάσιγες, *ſed quod nimium videtur, pallio Eliæ tegamus, cogitantes à plerisque hodie docentium, nimia lenitate gravius peccari, Deumque offendi, quam homines moderati unquam Lutheri aſperitate offenſi aut perturbati fuerunt.* (h) Et ſi antiquorum in Eccleſia Doctorum ἀναστροφὴ examinemus, talia zeli imprimis occurrent ſpecimina, de quibus judicium ſuſpendere quam temerè pronunciare, tutius videtur. Sic in Mediolanenſium quondam Præſule D. Ambroſio, Theodoſium patientiſſimum Imperatorem, per octo menſes excommunicante, THEODORET. (i) quidem παῤῥησίαν καὶ τὸν τῆς ζήλου θερμότητα miratur; alij vero Imperatoris magis mirantur ἐυπειθειαν ſive ſubmiſſam obedientiam & τῆς πίστεως (ut Theodor. loquitur) καθαρότητα, inſolitæque modeſtiæ exemplum, quod inſtar regulæ male dein alij allegarunt, & inſolentius eodem ſunt abuſi. Prudentiſſimus certè

(h) *Conf. monitum B. LUTHERI, de officio hominis Chriſtiani circa obſervatos in proximo nævos, Enarrat. in Cap. 27. Gen. v. 46. T. VI. Witteb. Lat. fol. 417. A. m.* (i) *Hiſt. Eccl. L. V. C. 18. c. f. conf. RUFFIN. L. II. C. 18. SOZOMEN. L. VII. C. 29. & qui his forte deſtituitur, adeat B. D. KORTHOLDI Theologiſche zu Beförderung der Gottſeel. angeſehene Tractätlein/ N. III. §. XII. ubi notab. hoc diſcipl. Eccl. exemplum recenſet.*

te Lipsiensium Theologus DN. D. RECHENBERG. (k) facti hujus severitatem excusare penitus non audet. Neque eadem omnium de D. CHRYSOSTOMI acrimoniâ, sententia est, in Homilia illa, qua propter Eudoxiam Augustam, quam infensam atque insidias sibi struentem senserat, vituperationem exposuit mulierum. Item in alia adversus eamdem, quam his, ex lat. vers. inchoavit verbis: Rursum Herodias furit, rursum turbatur, rursum ab Herode caput Joannis petit abscindi, rursum Jesabel Nabotho vineam eripere pertentat, ac sanctum Eliam ad montes persequendo compellere. (l) Cæterum qua ratione zelus prudenter temperatus, in exercendo inprimis elencho tum doctrinæ tum morum, tam nominali, quam reali, sese exerere debeat, & qua apta provisione & cautione versandum in universo hoc negotio sit, id quidem certis regulis demonstrari haud facile potest, sed necesse est, ut unusquisque pro ea, qua pollet prudentia, precibus à DEO seriis obtinendâ, partim ex Prophetarum & Christi sermonibus, partim ex Ecclesiæ praxi & præsenti statu; partim denique ex ipso negotiorum genere, causis, circumstantiis personarum, loci, temporis ipse ratiocinetur, & quid facto opus nunc sit, quousque progredi liceat, quo non, videat. Non neglectis interim, quæ à Pastoralis prudentiæ scriptoribus, (m) aliisque inculcari hic solent, præceptis.

Consolat. ad Theol. Zelotas.

§. XI. Palmaria invidiæ & odij, quo Doctores & Ecclesiæ Ministri premuntur, causa est insignis pro Domo DEI Zelus, & prognata inde severior errorum morumque corruptorum correptio. Mundus enim & qui sunt de mundo omnia prius quam Theologos Zelotas ferre possunt, inque contemnendis & persequendis his contumaces sunt. (n) Pro-

(k) *Diss. Hist. Pol. P. II. n. X. p. 257. §. 17.* (l) *Quæ ex Tripart. Hist. l. X. C. 13. & 15. ab HYPERIO de formandis Concionn. L. II. excerpta, suppeditat D. MEYER. Mus. Min. Eccl. P. II. Port. post. p. 67. add. J. H. REIZ. Tr. de Prudent. Eccles. illustr. ex Matth. 10. 16. & Heidelb. an. 1692. ed. p. 137. seq.* (m) *DN. D. BUDDEO Instit. Theol. Mor. P. III. Sect. III. §. 23. seqq. D. MEYERO, l. c. C. 8. quo cautiones tradit pro Concionibus in Genere Elenchtico & Epanorthotico. Quibus addi merentur Lectiones Cursoriæ quas in nostrate Universitate An. 1658. in Eph. 1, 4. instituit, & typis dein exscribi curavit Dn. Casp. LILIUS p. 47. seqq.* (n) *vid. quæ de contemtu Ministerii S. ejusque origine & causis genuinis in Protestantium Ecclesiis, non malè disserit*

Probat id Eliæ Prophetæ exemplum: loquuntur idem Ecclesiæ & Doctorum in eadem, per omnia Vet. Novique Testam. Secula, fata. (o) Et quamvis virulentos illos Ministerij S. & pro Ecclesiæ animarumque salute strenue laborantium Doctorum publicorum hostes, non eo semper progredi sinat Ecclesiæ suæ Protector DEUS, ut testium veritatis sanguinem effundant, vel ex statione in qua DEUS ipsos collocavit, violenter in exilium actos expellant; varias tamen artes fraudesque alias quibus ægrè ipsis faciant, infernalis lupus eos docet, vid. *Jer.* 18, 18. C. 26, 7. *seq.* 38. 4. Atque de ipsis his, quæ pios & fideles Theologos manent, satis, de isto ingrati mundi maligno genio, de periculis item istis, laboribus & molestiis, maturè *Jo.* 16, 1. 4. & in ipso studiorum cursu Academico S. S. Theologiæ consecraneis cogitandum; ne, quod solenne multis est, spem vanam & carnalem, de magna in officio sacro vitæ commoditate, deque hominum & auditorum suorum favore & amore, concipiant; sed animum potius præparent ad ferenda fortiter, quæcunque ob nomen Christi, & sanctum prædicationis opus, à fidei & pietatis hostibus, ab ingrato mundo, à tepidis & carnalibus, à falsis fratribus, inferri possunt. Ita enim fiet, ut, si malam istam gratiam mundus dein referat, sique experiundo ipsi discant, quod B. LUTHERUS (p) dicere est solitus: *prædicare verbum DEI nihil aliud esse, quam derivare in se furorem totius inferni & Satanæ*; si videant animos obturatos & callosos, qui auribus surdis omnia respuant; si ludibria & sannas, calumnias & odia, seque inter *refractarios & spinosos, imò inter scorpiones habitare* sentiant *Ezech.* 2, 6. non animo propterea frangantur, nec de pristina diligentia etiam debitoque zelo quicquam remittant. Sed, hîc opus esse animis & pectore firmo, hîc mansuetudinis & patientiæ exercendæ ansam sibi dari cogitantes, de divino præsidio *Jerem.* 1, 14, 15. nullatenus desperent; & laborem DEO suo gratum se præstare certi, DEI quam hominum gloriam magis


OSTERWALD. *l. c. p* 313. *seqq.* (o) *vid. Ebr* 11, 36. *Matth.* 23, 34. 22, 6. 1. *Cor.* 4, 9 10. *Exempla ex Novi Testamenti historia Ecclesiasticæ collegit* B. KORTHOLT. *l. c.* §. 16. *seqq. add. Dn. Sam.* ADAMI *Tr. Dresdæ an.* 1700. *ed.* die böſen Prieſter Feinde/ und die frommen Prieſter Freunde. (p) *in* C. 40. *Es. T.* III. *Lat.*

gis diligere pergant *Jo.* 12, 43. sacrique quod sustinent, officij dignitatem, non ex mundi malitia, sed ipsius Summi Numinis æstiment ingenio. Quodsi ergo ita visum divinæ providentiæ fuerit, ut & hodie *in fideles DEI servos Christi passiones abundent* 2. *Cor.* 1, 5. Eliano id, h. e. æquo animo ferant seque non judicent meliores patribus suis. Alij ante ipsos passi fuerunt idem, & quidem graviora ij, qui longe ipsis fuerunt præstantiores & sanctiores, ipsi scil. Prophetæ DEI; patiantur ergo suos manes æquo animo & ipsi. Interea vero sublimius insuper cogitent de istis temporibus, ne seculi iniquitas penitus ipsos abjiciat, Deum nempe in tantis persecutionibus mirabiliter curam sui Eliæ egisse; & quod magis suspiciendum, excitasse pupillis suis Prophetis Patronum & tutorem insperatum in aula ipsius Achabi, præcipuum ex Ministris Aulicis Obadiam, qui & nomen & omen habebat servi DEI. Agite ergo, quibus Ecclesiæ salus curæ cordique est, & faciem Seculi ultimi seriò perpendite, inque eo tot diaboli machinas, ipsâ temporis concessa brevitate inardescentis, ad festinandas hominum seductiones; vestrumque zelum pium, prudentem, divinum, infernalis Zelotæ machinationibus opponite. Animum non despondete, hastam cum clypeo non abjicite, sed robur à Supremo Imperatore vobis inspirandum certo exspectate.

Perstet ò! JESU Ecclesia Tua, non confundatur in æternum; cumque disparibus admodum fatis in Politiâ hospitetur, & ἐξουσίαις ὑπερεχούσαις sub cœlo longe diverso dispersa, subjaceat, ab omnibus quorumvis hostium insultibus tutam eam præsta, florentem atque pacatam. Obadias excita, non in cavernis, sed in Aulis, in Curiis patrocinium ipsi suum commodantes. Eliani Spiritus Viros, ubi opus, mitte & quos misisti clementer serva, qui conclamatis rebus, Zelum pro veritate conservanda, & collapsa fere vitæ sanctimonia restituenda, adversus quoscunque corruptores, fortiter & felici cum successu declarent

SIT SEDES TIBI NOSTRA SION,
QVOQVE POSTERA SECLA
HIC HABITES!
AMEN.

***



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862154596/phys_0124
DFG

ἐμπεσθαι καὶ ἐκχεῖσθαι mitti & ef-
eundemque tum πνεῦμα τῦ πατρὸς
, tum etiam πνεῦμα τῦ υἱῦ ſpiritum
um profitentur. Gratioſiſſimam ve-
ſionem Prophetae (ε) & Apoſtoli (ζ)
o inſigniunt, modumque donationis
is deſignant, quandoquidem Spiritus
redentes ſuperveniat (η), & adinſtar
lo delapſae ſuper eosdem cadat (θ),
e in modum tanquam ὕδωρ ζῶν (ι)
ὕδωρ ζωῆς (κ) aqua vitae, corda fi-
let, ac veluti שמן ששון (λ) ſive ἔλαιον
(μ) oleum laetitiae ſenſu veri gaudii
erfundat. Noviſſimis nimirum tempo-
as, ſimul ac in terris officio mediatorio
t, & in coelos evectus (ο) ad dextram Dei
eperit, feſtumque hebdomadum ſive
s, qui erit à futura reſurrectione quin-
, appropinquaverit, Spiritum Sanctum,
o à Patre accepturus, ac ut Deus in

B omnes

3. Joel. III. 1. 2. (ζ) Act. II. 33. Tit. II. 6.
XIX. 6. adde Jeſ. XI. 2. LXI. 1. Luc. IV. 18.
16.
6. X. 44. (ι) Joh. IV. 10. 14.
I. 1. 17. adde Jeſ. XLIV. 3.
V. 8. (μ) Hebr. I. 9.
tus Sanctus רוח נריבה ſpiritus laetitiae di-
n. LI. 14.
20. itemque 1. Joh. II. 18.
8. II. 33. (π) Act. II. 1.